KAL-
KAR

LA-
MEN-
TA-
TIONS

Lamentationes

(איכה),

CRITICE ET EXEGETICE ILLUSTRATÆ.

AUCTORE

Chr. H. Kalkar.

Lamentationes
(איכה)

CRITICE ET EXEGETICE ILLUSTRATÆ

CUM

PRÆMISSIS DISPUTATIONIBUS HISTORICO-CRITICIS TRIBUS.

DISSERTATIO,

QUAM

AD SUMMOS IN *THEOLOGIA* HONORES RITE OBTINENDOS

INTER

PUBLICA GAUDIA OB SACRA CHRISTIANA ANTE HOS TRECENTOS ANNOS IN DANIA INSTAURATA,

RESPONDENTE ORNATISSIMO *LUDOVICO OPPERMANN*, STUD. PHIL.,

PUBLICE DEFENDERE CONABITUR

C. A. H. KALKAR,

PHILOSOPHIÆ DOCTOR, SCHOLÆ OTHIN. CATHEDRALIS PRÆCEPTOR PRIMARIUS.

DIE XX OCTOBRIS *MDCCCXXXVI*.

HAFNIÆ.

TYPIS EXCUDIT *FABRITIUS* DE *TENGNAGEL*.

Hanc dissertationem dignam censet Ordo Theologorum, quæ pro summis in Theologia honoribus rite obtinendis publicæ disquisitioni subjiciatur.

Hafniae d. XVIII Julii MDCCCXXXVI.

Dr. H. N. Clausen.

h. a. Dec. Fac. Theol.

Viro summe venerabili

Jacobo Petro Mynster,

Dr. theol. Sællandiæ ordinumque Regiorum equestrium

Episcopo, Confessionario Regio, Ordinis

Danebrogici Commendatori etc. etc.

Theologorum inter nostros homines doctissimo,

Concionatorum publicorum facile eloquentissimo,

Rerum Ecclesiasticarum vindici humanissimo,

Omnibus bonis vel acceptissimo

hunc libellum

in gratissimam favoris et amicitiæ memoriam

sacrum esse voluit

auctor.

Inter publica gaudia ob benevole acceptam a nostris hominibus trecentis abhinc annis eam, quam Dei opibus sublevatus ecclesiæ Christianæ obtulit *Lutherus*, sacrorum emendationem, pro summis in theologia honoribus scripturus, ab iis recedere nolui studiis, quibus animum et magnopere delectari et laboribus fessum recreari libere profiteor. Neque a memoria divini illius viri, cui acceptum usque referet grata posteritas, quod patefactus nobis est ad sacras litteras bene usurpandas aditus, aliena videbitur ejusmodi scriptio, neque abhorrens ab illius ingenio, qui lingvarum studio, recte instituto, plurimum semper tribuendum censuit. Itaque hunc s. c. librum, quem ad elegantissima antiquitatis monumenta suo jure retulerunt doctissimi viri, novis illustrandum curis suscepi, qua in re quid maxime spectarim, lectores paucis monebo.

Primum id mihi proposui, ut non, quod summorum virorum docerent autoritates, sed quod rei natura i. e. regulæ Gramm., verborum nexus, poeticæ orationis indoles ferrent, in unoquoque spectarem loco; non enim puerili quasi modo iterantes, quæ magni viri dixerunt, sed eorum ope ad majorem usque enitentes lucem, vestigia eorum premimus, memoriam recolimus, autoritates veneramur. Itaque in rebus, quæ ad explicationem et in primis ad *antiquitates* pertinent, non raro discedo ab aliis — utrum veri similia videns an vana rerum specie deceptus, aliorum sit judicium—atque id maxime egi, ut ex *aliis* s. c. locis suum *quæque* res

accipiat lumen; *sacram enim scripturam s. s. optimam esse interpretem* non in dogmaticis solum disciplinis debet valere, sed ad criticam et exegeticam hanc artem etiam referri, neque pauci errores semel inducti ab alio ad alium transeunt interpretem, quia hæc veluti interpretandi norma negligitur. Quæ igitur explicationis causa attuli *ex s. c. loca*, ea, antequam laudavi, accuratius examinanda esse putavi, ut et veteres interpretationes possem sive firmare, sive refellere, et novas lectoribus commendare peritis. *Deinde* raro, nec nisi quando necessarium mihi esse videbatur, a Massoretharum lectionibus recedendum esse putavi, non religione quadam ductus, neque eos solos vera vidisse ratus, sed quia odiosa mihi videtur *Hubigantiana* illa scripturarum venatio, optima quæque labefactans, diversa illa quidem a critica lectiones et judicandi et emendandi ratione, quam sequitur *Hitzigius*, docuit *Gesenius*, ad quam recte exercendam viam se muniturum esse critico commentario nuper promisit *I. Olshausen*, Prof. Kilon., amicus meus. Id *denique* animo meo semper in interpretandis *litteris sacris* inculco, *sanctum esse locum, ubi insistamus, calceosque exuendos.* Qua de re, nostris quidem temporibus maxime necessaria, nuperrime bene monuit vir doctrina et pietate insignis, *Umbreitius* (in „Theol. Studien 9, 2"), cujus verbis ea, quæ dixi *in Bibl. quæst. specimine secundo* esse confirmata, vehementer gaudeo.

His ita dictis libellum hunc bonorum peritorumpue virorum judicio commendatum esse velim, per quos, quæ recta sunt, firmentur, quæ falsa, refellantur et coarguantur, faciliorque pateat ad elegentissima hæc carmina bene intelligenda via.

Prolegomena.

Prolegomena.

I.

De ultimis imperii Judaici temporibus disputatio historica, critica.

§ 1.

In antiquorum scriptis et critice examinandis et recte interpretandis nihil utilius, nihil magis necessarium est, quam ut *tempora*, quibus liber aliquis scriptus esse dicitur, ita cognoscantur, ut non opinionum levitate ablatus, sed scientia vera et explorata nixus ad eum interpretandum accedas. Sed quo longius a nostris remota sunt ea, de quibus quærere velis, tempora, eo difficiliora sunt intellectu, eo magis omnia confusionum tenebris obscurata invenies, quas, nisi bono animo lucem quærat, dissipare potest nemo. Hæc si de ullo tempore jure dicuntur, *in ultima reipublicæ Judaicæ tempora* certissime cadunt, in hæc inquam tempora, quibus populus Judaicus, aliorum subjectus imperio, confligentibus Ægypti Asiæque regibus, divinas subiit easque jamdiu intentatas poenas. Nam quæ de istis

calamitosis temporibus retulerunt libri Chron. Reg. Jeremias et Ezechiel, ea non ita plana sunt et extricata, ut, critica arte non adhibita, facile possint expediri et intelligi, præsertim cum Babyloniorum historiæ, quibuscum arcto vinculo conjunctæ sunt res Judaicæ illis temporibus, adhuc post tot doctissimorum hominum curas, densis tenebris sint involutæ, quo factum est, ut etiam is, qui illud tempus paucis abhinc annis illustrare conatus est, *Hitzigius* 1), res obscuras non satis explanasse videatur. Itaque, antequam ad hunc librum interpretandum nos conferimus, breviter exponendum esse videtur, qualis fuerit Judæorum pereuntis reipublicæ condicio, qua demum perspecta libello nostro lucem poterimus afferre. Ne vero quis omnes difficultates aut exquisitas aut disjectas h. l. exspectet, monendum esse videtur, ea modo a nobis proferri, quæ omnium rerum rationibus subductis, pro *certis* et *exploratis* habuimus.

§ 2.

Quemadmodum, quando intermortua hominum corpora relicturus est vitæ spiritus, vires animi in breve tempus quasi reviviscentes et longius promittunt vivendi tempus et spem sæpe fallunt, ita labentis civitatis Judaicæ rebus, unus modo exstitit rex, qui sacra emendare remque publicam vitiis depravatam in meliorem redigere statum conatus, letali morbo affectam esse eam magno cum dolore sensit, *Josias* Ammonis filius inde ab anno 642 ad an. 611 imperum tenens. Quæ ad infames idolorum cultus tollendos sacraque emen-

---

1) Begriff der Kritik am A. T. practisch erörtert. Heidelb. 1831 pg. 175 seq.

danda molitus est rex pietatis studiosissimus (an. 624), ea, cum ad nostram quæstionem non pertineant, omittenda esse censuimus, festinantes scilicet ad tempora, quibus, mortuo rege, omnia misere sunt perturbata. Inciderunt enim ejus tempora in bellum, quod *Pharao Necho*[1]) gessit cum rege sive Assyrio sive Babylonio

---

1) נְכוֹ Chald. חֲגִירָא ɔ: e. claudus. Joseph. LXX *Νεχαώ* Herodotus *Νεκώς*, secundus hujus nominis, filiusfuit *Psammetichi*, qui, Dodecarchiæ fine imposito, Græcorum opibus sublevatus, imperium et feliciter obtinuit et longius propagavit, secundum Mancthonem, autor 2dæ Dynastiæ Saiticæ, quæ hos quinque continebat reges: *Psammetichum* (quo, 54 annos regnante Schythæ in Asiam invaserant) *Nechonem* 16an. *Psammen* 6an. *Aprien* (Vaphrem apud Maneth. Pharao חָפְרַע apud. Jerem. 44, 30) 25an. *Amasin* 44an. *Psammenitum* (Psammacheriten apud Man.) cfr. Periz. Orig. Ægypt. Lug. 1711, Tabul. Synchr. des Vignoles Chronol. sainte II. pg. 143. Champollion l'Egypte sous les Pharaons. Paris 1811. cfr. Winer Realwörterb. pg. 38 sq. Becks Völkergeschichte pg. 171. In libro vero *Roselini*, qui inscribitur: „Monumente dell' Egitto" cujus libri pars prior Tom. II continet „Monumenti Storici," exstat id quod mecum communicavit Clar. *Madvigius*, Prof. Hafn. — inter alia monumenta de Nechone II. unum („una preziosissima stela del museo de Firenza da Rosellini portata d'Egitto") ex quo cernitur, Nechonem non, ut narrat Herodotus, 16an., sed modo 6an., ut vult Eusebius, regnasse. Aliud monumentum, idque *sepulchrum* Pharaonis Nechonis, ab Psamme successore, ut videtur, exstructum, quod detexit *Belzoni* Italus (vide Ethnographisches Archiv B. XIII. pg. 350) hanc quoque victoriam describit cfr. *Mo-*

(nam de hoc mox disputabimus), cujus belli memoria refertur 2 Reg. 23, 29—30; 2 Chr. 35, 20—26; Joseph. Ant. X. 5. 1. Herod. 11. 159 [1]). Quarum narrationum e conjunctione, quia tam multa pendent, ne sæpius repetendo lectoribus tædium moveamus, varias hic apponamus narrationes:

2 Reg. 23, 29—30.	Herod. 11. 159.
בימיו עלה פרעה נכה מלך מצרים על מלך אשור על נהר פרת: וילך יאשיהו לקראתו וימיתהו במגדו כראתו אתו: וירכבהו עבדיו מת ממגדו ויביאהו ירושלים.	Παυσάμενος δὲ τῆς διώρυχος ὁ Νεκὼς, ἐτράπετο πρὸς ϛρατηίας...... Καὶ Σύροισι πεζῇ ὁ Νεκὼς συμβαλὼν ἐν Μαγδόλῳ ἐνίκησε· μετὰ δὲ τὴν μάχην, Κάδυτιν πόλιν τῆς Συρίης ἐοῦσαν μεγάλην εἷλε.

2 Chr. 35, 20—26.	Jos. Ant. X. 5. 1.
אחרי.... עלה נכו מ"מ" להלחם בכרכמיש על פרת ויצא לקראתו יאשיהו: וישלח אליו מלאכים לאמר מה לי ולך מ"י" לא עליך אתה היום כי אל בית מלחמתי ואלהים [2]) אמר	Νεχάω ὁ τῶν Αἰγυπτίων βασιλεὺς, ἐγείρας ϛρατίαν ἐπί τόν Ευφράτην, ἠλάσε πόταμον, Μήδους πολεμήσων καὶ τούς Βαβυλωνίους, οἵ τὴν Ἀσσυρίων

---

vers kritische Untersuchungen über die Biblische Chronik. Bonn 1834 pg. 141.

1) De hoc bello vide Prideaux Connex. edit. Germ. pg. 50 sq. Hitzig l. c. pg. 197. Schlosser Universalhist. Ueb. der Weltg. 1. 219.

2) אלהים Deus aliquis, oraculum quoddam, non האלהים; huic quoque respondet narratio Herodoti, qui intermissi canalis 11 Cap. 158 eam proponit causam: *μαντηΐου ἐμπο-*

לבהלני חדל לך מאלהים אשר עמי ואל ישחיתך׃ ולא הסב יאשיהו פניו ממנו כי להלחם בו התחפש ולא שמע אל דברי נכו מפי אלהים ויבא להלחם בבקעת מגדו׃ וירו הירים למלך יאשיהו ויאמר המלך לעבדיו העבירוני כי החליתי מאד ויעבירוהו עבדיו מן המרכבה וירכיבהו על רכב המשנה אשר לו ויוליכהו ירושלים וימת ויקבר בקברות אבתיו וכל יהודה וירושלים מתאבלים על יאשיהו ויקונן ירמיהו על יאשיהו ויאמרו כל השרים והשרות בקינותיהם על יאשיהו עד היום ויתנום לחק על ישראל והנם כתובים על הקינות׃

κατέλυσαν ἀρχήν· τῆς γὰρ Ἀσίας βασιλεῦσαι πόθον εἶχεν. Γενομένου κατὰ Μένδην πολίν (ἦν δὲ αὕτη τῆς Ἰωσίου βασιλεῖας) μετὰ δυνάμεως εἶργεν αὐτόν διὰ τῆς ἰδίας ποιεῖθαι χωρᾶς τὴν ἐπὶ τους Μηδοὺς ἔλασιν. (Quæ sequuntur, cum Chron. cohærent. Porro): *Τελευτᾷ δ'ἐκ τῆς πληγῆς ἐκέινης τὸν βίον και κηδευεται ἐν ταῖς πατρώαις θήκαις μεγαλοπρεπᾶς, βιώσας μὲν ἔτη τριάκοντα ἔννεα, βασίλευσας δὲ τουτῶν ἕν καὶ τριάκοντα. Πενθος δὲ ἐπ' αὐτῷ μέγα τοῦ λάου πάντος ἤχθη, πολλαῖς ἡμέραις ὀδυρομένου καὶ κατηφοῦντος· Ἰερεμίας δὲ ὁ προφήτης ἐπικήδιον αὐτόν συνέταξε μελός θρήνητικὸν, ὁ καὶ μεχρὶ νῦν διαμένει.*

His autem in narrationibus *primum* quæritur, bellumne fuerit inter Ægyptios et *Assyrios*, an inter

---

δία γενομένου τοιοῦδε, „τῷ βαρβάρῳ αὐτόν προεργάζεθαι,“ **quæ causa ad expeditionem faciendam eum impulit.**

illos et *Babylonios*; nihil ex nomine אַשּׁוּר Reg. colligi posse, dudum intellexerunt interpp, quippe quod nomen et Assyriam et Babyloniam significat[1]); utrum h. l. significetur imperium, non nisi ex temporum computationibus historiarumque fragmentis elici licet. His autem inter se comparatis elucebit, minime admittendam esse eam, quam nuper defendendam suscepit Hitzigius, sententiam, qua Niniven non, ut fere omnes veteres, *Perizonius*, *Prideaux*, *Can. Ptolem.* alii, et inter recentiores *Winer* censuerunt, an. 625 a. Chr. deletam esse, sed triginta adhuc stetisse annos putat[2]); nam quod de *recentiori* Assyriorum imperio statuunt, *Can. Armen. Euseb.* sequentes, id tantis tenebrarum perturbationibus obscuratum est, ut tempora confusa eo minus extricare queat quisquam, quia nomina regum Babyl. non tam propria, quam dignitatis esse videantur[3]), quod non satis viderunt ii, quorum fragmenta de tem-

---

1) cfr. Gesenii Thes. sub אשור et ad Esaiam pg. 184. Jablonski Opp. III. 129. Herod. I. 108 ibique Bæhr; concedit id quoque Hitzig. l. c. pg. 98. Ita Judith 1. 7. Nebucadnezar מֶלֶךְ אַשּׁוּר (cfr. Jerem. 2, 18); de Lam. 5, 6, quem locum afferunt Gesen. et Hitzig. vide Commentarium nostrum.

2) Vehementer variant, qui recentioribus diebus de Ninives excisæ tempore scripserunt; ita *Volney* (Chronol. Herod.) an. 697, *Larcher* an. 603. *Graff* (Progr. 1828) an. 606.

3) Ita נְבוּכַדְנֶאצַּר ex נְבוֹ אֲדַן אֶצַּר cum formativo ךְ post נְבוֹ i. e. *Nebo* (Deus Chaldæorum) *est dominus splendoris*; scribitur et נְבוּכַדְרֶאצַּר Jerem. 21, 2 et sæpius ex אֲבוּךְ נְדַר אֶצַּר *Nebo est ignis splendoris* etc. cfr. Simonis Onomast. V. T. Hal. 1741 pg. 573 etc.

porum computationibus Eusebius et Josephus reliquerunt, Berosus, Syncellus, Alex. Polyhistor, alii. Neque igitur est, cur ab vulgo recepta opinione cum eo, quem nuper laudavimus, Hitzigio recedamus, qua *imperium Babylonicum seu Chaldæorum* ex dejecto Assyriorum regno *post* Niniven extinctam per *Nabopalassarem* exortum recte statuitur, admodum ita convenientibus temporum rationibus[1]). Nabopalassaris enim *quintum* regnandi annum in annum 621 incidere, post ea, quæ dilucide *Idlerus* docuit (Abhandl. der Berliner Acad. hist. Klasse 1814 pag. 202 sp.), dubitari vix licet. Hoc ab anno si altius repetimus, pugnam Megidduntinam tempore Nabopalassaris commissam esse intelligitur. Quænam vero fuerit belli inter Ægyptios et Babylonios *causa*, præter eam, quam habet Josephus, in desiderio imperandi Asiæ sitam, afferri vix potest[2]). Josias, cum Judæi fortasse a temporibus Hiskiæ Assyriorum (jam Babyl.) essent socii, advenienti *obviam ivit* (לִקְרָאתוֹ), quæ verba vix ita intelligenda sunt, ut ii censuerunt,

---

1) Incipit secundum Canonem Ptolem., de quo vide Semlerum ad Hist. Univ. III, *æra Nabonassaris* anno 747 et finitur post 209 annos in *Nabonada*, ita ut Assyriorum reges mox excipiantur a Babyloniis; illorum *Saosdochus* fortasse tempore Josiæ vixit, quo vivente Babylon. imperium est constitutum, nisi is fuit *Chyniladan* efr. Palmblad de rebus Babyl. Upsaliæ 1820 pag. 57.

2) Ita *Clericus* ad 1. Reg. „Hanc tam longinquam expedi„tionem suscepisse videtur Necho, ut par pari referret „Assyriis (Babyl.), ostenderetque Ægyptiis nec animum „nec vires deesse, quibus auderent bellum inferre Assy„riis". (Babyl.)

qui locum pugnæ parum recte indicatum esse credunt. *Megiddo*[1]) enim erat urbs tribus Manassis (Jos. 17, 11; Jud. 1, 27, cfr. 5, 19) ad montis Carmelis radices, ex quo porrigitur planities Jezreel; igitur jam *transiisse* regnum Josiæ putandus est exercitus Ægyptius, et לקראת h. l. ut latinorum „obviam" de exercitibus sibi occurrentibus usurpatum, ut Gen. 14, 17. Num. 20, 18 (cfr. Noldii Part. pg. 540). Hæc quamquam ita bene defendi possunt, vix tamen credibile mihi quidem videtur, Josiam sivisse, ut rex Ægypt. regnum suum peragraret, antequam ei occurreret; itaque cum des Vignoles, Jahnio, Schmeidlero, Keilio[2]), Nechonem *navibus* ad terram Judaicam appulisse, et tum in planitie Megidduntina cum Josia prælium commisisse credo, quod egregie conjungi potest cum verbis Herodoteis (l. c. 159): *καὶ τριήρεες, αἱ μὲν ἐπὶ τῇ βορηΐῃ θαλάσσῃ ἐποιήθησαν..... ταυτῃσί τε ἐχρᾶτο ἐν τῷ δέοντι.*

Quod qui reputaverit neque cum *Marshamio* duo stuatuet fuisse oppida, quæ Megiddo vocarentur, neque cum *Perizonio*, Herodoti magis, quam sacræ scripturæ autoritate nixo (l. c. pg. 416) credet, illam urbem in *confiniis Ægypti* sitam fuisse, eadem jam ante eum statuente *Scaligero* (Not. ad Emend. Temp.) et *Ussero* (Ann. mundi), cui obstat dilucidus s. c. locus Zach. 12, 11 (cfr. Hengst. Christol. 11. 1. pg. 311 sq.). Herodotus autem etsi, ut planum est, Megiddo in Magdolon commutavit, ta-

---

1) cfr. Reland. Palest. pag. 894 et quæ nos de Cant. Deb. pag. 53 attulimus.

2) Apologetischer Versuch über die Bücher der Chronik. Berlin 1833 pg. 437.

men ex ejus verbis non sequitur, eum hanc urbem cum ea confudisse, quæ nomine Ⲩⲉϣⲧⲁⲓⲗ Mesctôl (Anton. itin. pg. 178) duodecim millibus a Pelusio remota ipsi bene innotuerat; nam cum *συμβαλὼν* tantum dixerit, neque Syros *in Ægyptum invasisse* monuerit, eum Magdolon quoque in Syria sitam credidisse apparet, quod quomodo non viderint interpp, valde miror [1]). Restat solum *Μένδης* apud Josephum, quod librariis tribuendum esse pro *Μέγδην* (idque corruptum nomen pro Megiddo) nollem Relandus statuisset cum Perizonio aliisque, cum alias bene nosset Josephus *Μαγεδδώ* Ant. 9, 6, 3 et *Μαγεδδών* Ant. 8, 2. Is enim, cum diversas Herodoti et s. c. narrationes conjungere non posse sibi visus sit, qui est ejus mos, urbem incertam fingere maluit, quam id dicere, de quo in utrumque posset disputari, callideque addidit; *ἦν δὲ αὐτὴ τῆς Ἰωσίου βασιλείας*. Eas vero, quas de Wette, Grambergius alii congesserunt in Chr. autorem, criminationes, quibus ejus de *morte* Josiæ narrationem, libro Regum repugnare dixerunt, antea jam factas, inter majores re-

---

1) Champollion l. c. II. 79. Walken. Opusc. I. pg. 152. Bæhr excurs. XII. ad Herod. 2. Conjecturam proponere licet, haud omnino spernendam illam, ut quidem mihi videtur; inter *Doram* et *Eleutheropolin* oppidum fuisse *Magdiel* ab Hieronymo et Eusebio nominatum, quod ab hoc pro magno, ab illo pro parvo habetur oppido, *haud procul a Megiddo situm*, ex *Onomasticis* illorum docemur. Quam facile ab Herodoto potuerint Megiddo et Magdiel vicina oppida confundi, apparet; itaque *Μαγδολος* scripsisse putandus est. De urbe Magdiel sive *Μαδιὴλ* conf. *Bachiene* Besch. 2, 3. pag. 279.

futarunt *Lilienthal*, *Prideaux*, inter recentiores *Keil*, *Movers*, *Hengstenb.* qui breviter ea narrata esse in libro Reg., quæ planius memorentur in libro Chron. neque illorum librorum autorem multum curasse, utrum Josias jam Megiddo esset mortuus, an exanimis et vita tantum non destitutus Hierosolymam esset deductus, recte statuerunt. *Jam lugubre carmen composuit Jeremias de Josia* (ויקונן ירמיהו על יאשיהו) *et cantores cantricesque de Josia canunt ad hunc usque diem consvetudinemque hanc in Israele constituerunt. En autem ea scripta sunt in lugubribus carminibus* על הקינות ɔ: recte explicante Jarchide על ספר הקינות, quæ collectio videtur fuisse carminum threnodicorum [1]). Suis adhuc temporibus exstitisse lugubria illa carmina docent autor Chron. et Joseph. neque aliud ex hujus verbis elicere licet (§ 11) quippe qui non nostrum librum esse illud de Josia carmen, sed modo Jeremiæ de Josia carmen adhuc suo tempore exstare doceat.

§ 3.

Mortuo Josia *filium Joacham* populus seu potius plebs (עַם הָאָרֶץ) regem creat 2 Reg. 23, 30—34, 2 Chr. 36, 1—5, quem post tres menses imperio privatum Necho in exsilium abduxit in Ægyptum, ubi quoque mortuus est, Jerem. 22, 11, 12. (recte vidisse videntur Rosenm. et Hitzig. hunc contumeliæ causa vocari *Sallum* 2 Reg. 15, 13 cfr. 1 Chr. 3, 15) [2]),

---

1) De libris in s. c. citatis, non exstantibus vide Wolfii Bibl. Hebr. I. pg. 244 seq.

2) Sunt etiam, qui eum ante imperium susceptum vocatum fuisse Sallum putent cfr. *Usseri* Ann. Neque a vero

centum argenti talentorum et unius auri talenti multa terræ Judææ imposita, et fratre Joachæ, *Eliakimo* cui nomen *Jojakimi* dedit, in illius locum facto rege. Nunc res ita digerit Hitzigius: „Während dieser (Jojakim) den Hass der Gutgesinnten auf sich lud, rückte „Necho, je die zunächst gelegenen Völkerschaften unterjochend, langsam (?) weiter und gelangte endlich „an die Ufer des Euphrat, wo er die am Einflusse des „Chaboras in denselben gelegene Stadt, Karkemisch, „*Κιρκήσιον*, Cercusium belagerte"; „ibi ei occurrisse „*Chaldæos* sive ab iis opem repeterent *Assyrii* sive „*proprio Marte* cum Ægyptiorum rege conflicturos, „quo in loco *quarto* Jojakimi anno, Jerem. 46, 2. „anno 606 ad Circesium Nechonem fusum fugatumque „et recedere coactum, copiis sese retrahentibus *Gazam* „cepisse (Jerem. 47, 1) quæ urbs Herodoto esset „*Κάδυτις*" (ut hic jam in peculiari scriptione[1]) demonstrare conatus est); atque ita concludit: „Wer vor

---

multum abesse videtur, id, quod monuit *Buddeus* H. E. V. T. 11. pg. 571, fortasse prælatum fuisse Joacham fratri Eliakimo, quanquam juniorem, jam a patre Josia; Eliakimus magnam sibi inlatam injuriam esse ratus, regis Ægyptii opera regnum recuperare conatus est idque perfecit. Hæc si ita acta esse statuas, bene conjungi possunt cum iis, quæ habet Herodotus de expugnatione urbis Cadytis.

[1]) De Cadyti, urbe Herodotea. Gott. 1829. Jam eam sententiam defenderunt *Frömmichen* (cfr. Schweighäuser ad Herod. l. c.) *Heyse* Quæst. Herod. 1. pg. 94—95 et postea *Billerbeck*; nuperque *Doenige* de geographia Herodotea, Berl. 1835 pg. 61.

„dieser Harmonie beider sich ergänzender Schriftsteller „die Augen verschliesst, nun der begnügt sich mit den „Nachrichten in ihrer Einzelheit, wie sie fremd und „abgerissen da stehen, ohne geschichtlichen Zusam- „menhang.“ Hæc omnia recte se haberent, si probari posset *primum* Cadytin esse Gazam, *deinde* Jerem. 47, 1 ad Pharaonis Nechonis pertinere tempora, *tum* Pharaonem modo lente et pedetentim esse progressum, *denique* eum fusum fugatumque tot habuisse vires, ut Gazam capere posset. At hæc non ita esse, demonstrabimus.

Jam primum de Cadyti urbe, ut nostram proferamus sententiam, eam non cum Hitzigio *Gazam* esse statuimus; 1) mirum enim esset Herodotum, quam urbem Græci bene norunt (Arriani Alex. 2, 26. Plut. Alex. 25 cfr. Steph. Thes. l. Gr. edit. Paris. 1834. 1. pg. 384), eam *externo* nomine eoque omnino absimili nec nisi contorta ratione comparando appellasse; 2) ex Herod. 3, 5. sequitur, *Κάδυτιν* magnitudine *æquasse Sardes*, quibus an tum par fuerit Gaza, vehementer est dubitandum; 3) ex loco 3. 5 non sequitur, ut vult Hitzigius, ab Herodoto, Cadytis urbem ad mare mediterraneum fuisse sitam, narrari; dicit enim; *ἀπὸ Καδύτιος, ἐούσης πόλιος ὥς ἐμοι δοκέει, Σαρδίων οὐ πολλῳ ἐλάσσονος, ἀπὸ ταυτῆς τα ἐμπόρια τα ἐπὶ θαλάσσης μεχρὶ Ἰηνύσου πόλιος ἐςὶ τοῦ Αραβίου*, quibus ex verbis clarum est, ab Herodoto oram maritimam *inde ab* urbe Cadyti, non vero eam ipsam tamquam urbem mari adjacentem describi. (Minime igitur audiendus Hitzigius, qui „aus Herod. 3, 5, inquit,“ geht *sonnenklar* hervor, dass diese Stadt gegen die Ægyptische Gränze hin am Mittelländischen Meere gelegen hat“); 4) ex verbis:

ὡς ἔμοι δοκέει, non necesse est sequatur ab Herodoto urbem ipsam Cadytin fuisse *conspectam*, et, si etiam conspexit, stupendorum operum mentionem omittere potuit, qui ad alia festinaret. Quæ cum ita sint, minime veri simile mihi quidem videtur Cadytin esse Gazam, neque aliorum opiniones sunt aut admittendæ aut refellendæ, qualis fuit *Perizonii*, qui Kadesch Barneam eam esse statuit et *Relandi*, qui Gath est opinatus (pg. 670) et *Clerici*, qui Kadesch Nephtalitarum, et *Simsonis*, qui Charhemisch ipsam Cadytin est ratus, quæ omnes sententiæ ideo acceptæ sunt et probatæ, quia, qua regione progressus esset Necho, parum constabat. Nobis enim omnia reputantibus Cadytin cum antiquioribus et recentioribus, *Lightfoot*, *Prideaux*, *Cellario*, *Vitringa*, *Heine*, *Hammelsveld*, *Jahnio*, *Rosenm.*, *Hartmanno*, *Hengstenb.*, *Bæhr.*, *Keilio* aliis esse *Hierosolymam* persvasum est; idque a) non solum ex nomine אל קדש s. קדשה sancta Syr. קדיתא contract. ex קַדִּישְׁתָּה ut רבה ex רַבְּתָא[1]), sed etiam b) ex situ, qualis nobis ex Herodoto, aliis assentientibus, offertur[2]); mercaturæ enim causa per Hierosolymam transire solebant (cfr. Ritteri Erdkunde 2, 393 cfr. Ezech. 26, 3), et imprimis c) quod ita jubet s. c. Cum enim ויסירהו־בירושלם 2 Chr. 36, 3 autor dicat, nescio sane, quomodo hoc sit intelligendum, nisi Nechonem post cæsum Josiam statim exercitum contra Hierosolymam movisse putes, quæ urbs, ubi omnia essent perturbata,

---

1) Golii not. ad Alfragan. pg. 137. cfr. Nehem. 11, I, 18; Es. 48, 2. 52, 1.

2) De montibus Hieros. vide Olshausen zur Topographie Jerusalems. Hamb. 1833. pg. 38.

facile victori sine cæde sese dedidisse putanda est[1]); hoc ipsum inest in Herodoteo *Κάδυτιν εἷλε*; neque enim de *eversa*, sed de *capta* urbe hæc dicta sunt. Huc accedit d) quod rex a plebe creatus imperio non facile destitui potuisse videtur, nisi urbe potitus esset victor, neque Joachas Riblam[2]), urbem Hamathensem abiisset, nisi vi coactus. Ita Pharaonem, cum Hierosolymam cepisset, Riblam sese contulisse credimus, quo forte evocatum Joacham in vincula conjecit. Sic omnia bene cohærere vix est, qui neget. Pharaonem autem, qui Jerem. 47, 1 memoratur, id quod *secundo loco* posuit Hitzigius, esse *Nechonem* probari non potest, si quidem id modo conjecturæ commendandæ causa ita statuatur. Collectis enim et invicem comparatis iis, quæ narrant Herod. 2, 161, Diod. 1. 68 et Ezech. 29, 3. 32, 2. Gaza ab eodem capta esse videtur, qui Phænicum terras invasit et devastavit, cujus auxilio nixus fidem Nebucadnezari datam fregit *Sedecias*. Is vero fuit חפרע LXX *Οὐφρής* Herod. *Apries* (cfr. des Vignoles 2. pg. 49. Bud. 2, 879) in quem omnia melius conveniunt, quam in Nechonem[3]). Necho enim,

---

1) Credit quidem *Movers* l. c. pg. 86. *l. c. Chr. librariorum vitio* ex 2 Reg. 23, 33 esse exortum, ויאסרהו פרעה נכה ברבלה בארץ חמת ממלך בירושלם, sed nihil affertur veri, cur ita esse statuas breviterque narrare Chron. autorem planum est.

2) De Ribla vide Num. 34, 16.; ibi moratus quoque est Nebucadnezar 2 Reg. 25, 6. 20.; Jerem. 52, 9.

3) Negavit quidem *Keil* pag. 436. Apriem significari Jerem. 47, 1, et cum I. D. Michaeli *Phammetichum* intelligi vult. At argumenta ejus facile possunt refelli; nam

ut ad id quod tertio et quarto loco opposuimus, veniamus, quemadmodum et s. c. et Josephus narrant, Circesium oppugnavit et quoque cepisse videtur[1]; qua capta *eum agressus*, ultimo patris Nabopalassaris anno (Palmblad l. c. pg. 57) *Nebucanezar fudit et fugavit.* Hoc autem factum esse *quarto* Jojakimi i: e. anno **606—605** contra K. O. Mullerum egregie docuit Hitzigius qui *Berosi* fragmenta cum s. c. et aliis scriptoribus bene conjungi posse demonstravit. Porro Josephus: *Διαβὰς δὲ,* inquit, *τὸν Εὐφράτην ὁ Βαβυλώνιος τὴν ἀχρὶ Πηλουσίου παραλαμβάνει Συρίαν παρὲξ τῆς Ἰουδαίας,* quibus ex verbis sequitur, vix Gazam potuisse capi a Pharaone Nechone, ut statuit Hitzig., a pugna Circesiensi reverso. His ita enucleatis ad rerum narrationem pergamus.

---

1) non in expeditione Judæis auxilii ferendi causa suscepta, sed in bello contra Sidonios Gazam eum cepisse credimus; 2) ex silentio Herodoti et Diodori de ex pugnatione Gazæ nihil potest elici, quippe qui totam expeditionem describere noluerint; 3) quod Chaldæi non jam advenisse, sed adventuri esse describuntur, id bene cohæret eum eo, quod primo loco posuimus.

1) Utrum ceperit necne, pendet. ex Jerem. 46, 2; si enim אֲשֶׁר הג vertas: „qui fuit ad flumen Euphrat *ad* Charchemisch", urbem captam esse probari non potest. Possunt vero, idque haud scio an rectius cum Græco (vide Jerem. edit. Spohn) verti: *ὃς ἦν ἐπι τοῦ ποταμοῦ Εὐφράτου ἐν χαρχαμεὶς.* Hanc dubitationem ut evitaret, Syrus scripsit ܗܘ ܕܩܪܝܒ ܗܘܐ „qui vicinus fuit." Falsi igitur sunt, qui Hierosolymam *post* Circesii oppugnationem captam esse dicunt, quos merito increpat des Vignoles 2, 136.

§ 4.

Jojakimus et nomine et regno a Nechone accepto (2 Reg. 23, 34 s. 2 Chr. 36, 4 s. Jos. Ant. X. 5. § 2) viginti quinque annos natus (Reg. v. 36. Chr. v. 5) quatuor, ut dixi, annos regnaverat, cum res ad Charchemisch male gestæ sunt (Jerem. 36, 1. Ant. l. c. 6. 1). Quamquam Judæorum imperium Chaldæorum vim timebat (Jerem. 25), tamen Nebucadnezar, qui Ægyptios persecutus erat (vd. *Berosi*[1]) fragm. apud Joseph. cfr. Fabricii Bibl. Græc. XII. pg. 197), morte patris domum revocatus hoc anno Judæam attigisse non videtur, neque audiendus mihi esse videtur aut Hitzigius (pg. 183) aut Winer (l. c. pg. 700), cujus rationem h. l. non intelligo, qui Nebucadnezarem statim post pugnam Charch. Judæam invasisse docent. Nam quod jejunium *quinto* Jojakimi anno indictum est (Jerem. 36, 9), id ob Chaldæorum adventum esse institutum sine idonea causa sumitur, et, si quid video, Berosus Nebucadnezarem *διὰ τῆς ἐρήμου* i. e.: per Peream Babylonem venisse narrat, neque obstat, quod *αἰχμαλώτους Ἰουδαίων* Babylonem deductos esse vult; nam Judæorum aliquos in *Pharaonis exercitu* militasse et ita captos esse, est probabile. Rebus autem Babyloniis compositis, *quarto* sui imperii anno (Jos. Ant. X. 6. 1) *octavo* Jojakimi

---

1) Non admodum magna fide dignus is videtur, qui et pugnæ Charchem. nullam fecit mentionem et regem Ægyptum *satrapem* finxit esse *Babyloniæ*, qui error, quomodo ei ab Hitzigio condonetur, non video: „den Anachronismus, Necho sei Babylonischer Satrap gewesen, verzeihen wir ihm gern."

altera vice in Asiam descendit inferiorem Nebucadnezar, Hierosolyma facile sibi subjecta, Jojakimum servum sibi fecit (2 Reg. 24. 1); hoc tempore aliquot Judæos ad Babylona esse abductos *primumque ex hoc tempore deportationis factum initium*, ex Dan. 1., de quo mox plura disputabimus, colligunt (cfr. Witsii Miscell. sacr. 1. pg. 241). Jojakimus non ultra *tres* annos in fide mansit, quibus finitis cum rebellaret, Chaldæorum Syrorum, Moabitarum et Ammonitarum *turmas* contra eum excitavit Deus (2 Reg. 24. 2). Hic mihi gravis error criticis interpretibusque multis obtigisse videtur, qui Nebucadnezarem cum eo, quem diximus, variorum populorum exercitu Hierosolymam cepisse narrant; quod si factum esset, nullo modo conjungi possent narrationes Chron. et Reg.; verba autem Reg. aperte declarant: gentes Judæis vicinas aut Babyloniis jam parentes aut forte fædere cum iis junctas in Jojakimum concitatas esse (vocantur quoque non exercitus sed catervæ, גְּדוּדִים, quod recte observavit Winer l. c.), donec ipse justo cum exercitu adventaret. Qui cum adventasset, regem in vincula conjecit (וַיַּאַסְרֵהוּ בַּנְחֻשְׁתַּיִם) *ut abduceretur* (לְהֹלִיכוֹ) Babylonem 2 Chr. 36. 6. Hæc autem narratio cum 2 Reg. 24, 6 et Jerem. 22, 19 pugnare visa est, neque, quam plerique conati sunt difficultatis expediendæ viam, eam cum rerum serie bene conjungi posse video[1]). Rem ita expedio. *Voluit* rex Babyl.

---

1) Alii, ut Buddeus et Dahler Jojakimum fuisse vinctum, ut Babylonem abduceretur, at *in itinere* mortuum esse, ibique insepultum jacuisse, volunt (Jerem. 22, 19), quæ mera est conjectura, neque equidem credo, וַיִּשְׁכַּב עִם אֲבֹתָיו 2 Reg. 24, 6 (quod per incuriam haud probandam

Jojakimum secum abducere (quod *si fecisset*, vel Reg. vel Chron. autor id narrasset aliquidque de hac re adjecisset), *sed mortuus est et sepultus interea rex;* nam quotquot in locis invenitur dicendi formula וַיִּשְׁכַּב עִם אֲבֹתָיו, *omnibus in his* significat *mortem et sepulturam*, cujus rei causa fere semper additur וַיִּקָּבֵר, idque non solum de iis, qui in lectis decumbentes exspirant, sed de iis etiam, qui *violenta manu* interfecti pereunt, ut Achab. 1 Reg. 22, 40. Quod autem Jojakimo vaticinatus erat Jeremias, ei sepulturam fore asini (Jerem. 22, 19) extra Hieros. portas projecto, id fortasse factum est, cum urbs sub *Jojachino* expugnaretur, cum perquam veri simile esse videatur, regis ipsis civibus invisissimi corpus, cum res misere gererentur, seu ab hostibus seu ab incolis male esse tractatum, cujusmodi contumeliæ exempla in urbium excisionibus sæpe vidimus[1]).

Ab his vero omnino diversa est narratio Dan. I. 1, qui בִּשְׁנַת שָׁלוֹשׁ לְמַלְכוּת יְהוֹיָקִים מֶלֶךְ־יְהוּדָה בָּא נְבוּכַדְנֶאצַּר מֶלֶךְ־בָּבֶל יְרוּשָׁלַםִ וַיָּצַר עָלֶיהָ, qua in narratione annum *tertium* plane admittere nequit, qui ex Jerem. 25, 1. (46, 2) *primum* Nebucadnezaris annum in Jojakimi *quartum* incidere, neque antea ullius ab eo factæ expeditionis

---

vertunt: zu seinen Vätern versammelt werden, aut er entschlief etc.) *idem* plane significare, ac mori. Josephus, qui in talibus rebus non nimis est religiosus: τοὺς ἀκμαιοτάτους.... μετὰ τοῦ βασίλεως Ἰωακίμου, ὃν ἄταφον ἐκέλευσε ῥιφῆναι πρὸ τῶν τειχῶν... ἀπέκτεινε.

1) Keil l. c. pg. 439—442. Movers pg. 333. Conferendus etiam Winer l. c.

fieri posse mentionem didicit. Quam discrepantiam qui solvere voluerunt, *Harenberg*, *Bertholdt*, *Hengstenberg*, *Havernik*, eos rem haud feliciter perpetrasse, omnes facile concedent [1]), si quidem statuunt aut tertium illum annum ab Nebucadnezaris in Jojakimum imperio, quod incideret in annum illius octavum 8+3. i. e. 11. (2 Reg. 24. sq.) computandum; aut בָּא non „venit", sed „ivit" (cfr. Ges. Thes. pg. 186. 3) vertendum — quod igitur ante pugnam Charch. ponendum, haud refragante narratione Berosi — aut Jojakimum tum — anno tertio — Babylonem abductum, sed pactis servitutis condicionibus mox restitutum (Budd. l. c. pg. 572), omnino non admittente Jerem. 25, 9. 29 cfr. v. 1, ex quo discimus, ne quinto quidem Jojakimi anno Nebucadnezarem ad Hierosolymam apparuisse. Cur tandem has moles movemus? quidni concedamus, errorem obrepsisse Danieli? Numquid autori inde paretur periculum?

Cum expugnaretur urbs, aliquos quoque fuisse deportatos vix est, quod dubitemus.

§ 5.

Patrem mortuum excepit *Jojachinus*, annos duodeviginti natus, meliore fato dignus (2 Chr. 36, 9. 2 Reg. 24. 7. Antiq. X. 6. § 3 et 7 § 1), qui Chron. *tres menses et decem dies*, Reg. *tres menses* regnasse dicitur, cum advenit Nebucadnezaris exercitus, deinde et ipse (2 Reg. 24, 10 cfr. 11), urbem vastaturus. *Hunc*

---

[1]) cfr. de Wette Einl. edit. noviss. § 253 Anmerk. et in Hall. Encykl. Vol. XXIII. pg. 6. Lengerke Dan. ad. l.

quoque cepit, *diripuit* (Jerem. 27, 20), *populique robur cum ipso rege*, *regis matre*, *principibus*, *inter quos et Ezechiel* (Ezech. 1. 1), *et multis opibus Babylonem deportavit*. Ita recte Hitzigius, a quo tamen hujus narrationis difficultates tactas non esse miror. Neque vero hoc me movet, quod Jojachinus, qui et Jechonias et Conjah vocatur, Jerem. 22, 24, in illo Chron. loco annos *octo*, sed Reg. *octodecim* annos natus ad imperium pervenisse dicitur; apertum enim est, illud Chron. per errorem fortasse librarii עשרה omittentis esse inductum[1]), neque quod in Chron. *menses tres et decem dies*, Reg. modo *menses tres* regnasse dicitur. Major in rebus ipsis inest difficultas; a) vix enim credibile esse dicunt, per *centum* dies Nebucadnezarem bis ex Babylone Hierosolymam adiisse, quo factum est, ut Hieros. sub Jojakimo fuisse expugnatam plane negarent nonnulli, quod inter alios fecit Winer l. c. pg. 699. At ex 2 Reg. 24, 7. sequi mihi quidem videtur, Nebucadnezarem et ipsum in *Ægypti et Judææ confiniis bellum tum gessisse*, quod si verum est, facile et celeriter potuit Hierosolymam aggredi. Cum Jechonias, invito fortasse et haud adnuente rege Babyl. regnum accepisset, Nebucadnezar, de hac re certior factus, primum exercitum Hierosol. misit (Reg. v. 10), deinde secutus est et ipse. b) Mira inter Reg. v. 12, quo deportatus dicitur anno Nebuc. *octavo* et Jerem. 52, 28 (?) quo anno *septimo* id factum esse narratur, est discrepantia; quam vix cum *Buddeo*, *Seb. Schmidio*

---

1) Miras aliorum conjungendi rationes vide apud Müllerum de rebus duarum trib. regni adversis. Lips. 1745, p. 37.

aliis ita dissolvere licet, ut annos Nebuc. aliter in Babylonia aliter in Judæa numeratos esse dicas (cfr. des Vignoles 1. pg. 449); hæc vero equidem conjungi posse non credo [1]. Denique c) non observavit Hitzigius (saltem non monuit), cum dixerit: „Er hätte „freilich sogleich beim Regierungsantritt seine Unter„werfung einschicken sollen", Josephum narrare: „τὸν δὲ βασιλέα Βαβυλωνίων δόντα τὴν βασιλείαν Ἰωαχίνῳ παραχρῆμα ἔλαβε δέος, quod an de suo finxerit Josephus, vehementer dubito. Svadet enim id reipublicæ status illo tempore, nec obstat, quod supra (litt. a.) Jechoniam primo invito rege Babylonio ad regnum pervenisse diximus; videtur enim is, qui a populo esset electus, mortuo in ipsa urbis expugnatione Jojakimo, mox a Babyl. confirmatus, et tamen tam dubiæ fidei, ut statim exercitum ad urbem adduceret Nebucadnezar. Ita hæc facillime posse conjungi apparet. Nihil vero dico d) de diverso abductorum hominum numero, Reg. l. c. Jerem. l. c., qui vix in unum conjungi potest (cfr. Rosenm. ad Jerem. 52, 28).

§ 6.

Jam ultima Hierosolymam appetebant fata. In locum Jojachini sive Jechoniæ Babylona abducti Nebu-

---

1) *Bertholdtius* (Dan. pg. 174) Jechoniam cum Jojakimo Babylonem abductum (includitur in iis, quos מזרע המלוכה nuncupat Dan. 1. 3), mox a Nebucadnezare liberatum imperioque donatum, novas res anno *septimo* Jerem. 52, 28 molitum esse; regem Babyl. anno sequente i. e. *octavo* לִתְשׁוּבַת הַשָּׁנָה (2 Chr. 36, 10) Hierosolymam reversum eum abduxisse censet; quod quomodo cum tribus mensibus conjungi possit, nec video et dubito.

cadnezar *Mataniam*, quem mutato nomine *Sedeciam* vocavit, substituit (2 Reg. 24, 17 s. 2 Chr. 36. 10 f. Jerem. 37, 1. Jos. Ant. X. 7. 1.), *Josiæ filium*. Hic mihi crimen aliquod ab Hitzigio in Chron. autorem conflatum diluendum esse videtur. Is enim: „Einen Bru„der Jojachins, Zedekia," inquit, „erwähnt die Chronik „1 Chron. 3. 16; allein man *kann ihren Angaben „nicht unbedingt trauen*. v. 15. nennt sie den Joahas, „welchen Nahmen sie wohl 2 Chron. 21, 17 für *Ahasja* „setzen durfte, fälschlich *Iohanan*, giebt aus Jerem. „22, 11 einen vierten Sohn Josias's Sallum und hält „2 Chr. 36, 10 Jojachins Nachfolger für seinen Bru„der, was die Existenz eines Bruders Jojachins verdäch„tig macht." Sed videamus, quid habeat 1 Chr. 3. 15.

Josias

Johanan 1^{mus}. *Jojakimus* 2^{dus}. *Sedecias* 3^{tius}. Sallum 4^{tus}.

v. 16 *Jechonia*. Sedecias.

Johanan pro Joacha positum esse, omnino falsum est, siquidem Johanan h. l. primogenitus dicitur, et Joachas 2 Chron. 36, 2 coll. 2 Reg. 23, 36 sq. *junior* erat fratre Jojakimo, igitur pro Johanane haberi nequit. Sed Johanan vivo patre mortuus esse videtur, quam ob rem nulla ejus protenus fit mentio. *Sallum* vero ex Jerem. 22, 11 effictum esse, quod deinde criminatus est Hitzigius, id a vero multum abest. Jam supra (§ 3) id monuimus, facile accidere potuisse, ut Joachas antea audiret Sallum nomenque postea a Pharaone Nechone

in Joacham esse mutatum[1]. Quod vero ultimo loco memoratur Sallum, id sine dubio ideo factum est, quod stirps Davidica in Jojakimo propagaretur (vide interpp. ad Matth. I.), ipseque fratri erat superstes; igitur præpositus est quoque fratri seniori Sedeciæ. Restat jam tertia in Chron. autorem criminatio, qua Sedeciam Jojachini seu Jechoniæ fratrem ab eo haberi opinatur vir clariss. 2 Chr. 36, 10, cum 2 Reg. 24, 17 recte דדו vocatur. At quam sæpe quoslibet cognatos sermone Hebræo vocari fratres (אחים), ut Gen. 14, 16. 13, 8. 24, 48, Hitzigio perquam perspicuum est. LXX Chron. τὸν ἀδελφὸν τοῦ πατρός Reg. τὸν υἱόν. Ita sine ulla difficultate omnia mihi vere et plane a Chron. narrata esse videntur.

Revertamus ad historiam, quæ Chronicorum, Regum, Jerem., Ezech. et Josephi ἁρμονίαν requirit.

§ 7.

Sedecias, annos viginti et unum natus (2 Reg. 24, 18; 2 Chron. 36, 11. Jerem. 52, 1 cfr. 3 Esr. 1. 46 Ant. l. c.) regnum iis condicionibus acceperat, ut Nebucadnezari obediret (Chr. v. 13. Ezech. 17, 12—14), vir rebus mole sua perturbatis minime par, a populi principibus gubernatus vexatusque (Jerem. 38, 24 sq. cfr. 29, 26), a divitibus hominibusque novarum rerum studiosis male confusus, nec Jeremiæ iisque, qui meliora svaderent, aures admovens (Jerem. 38), qui occasionem modo quæreret, ut fidem Nebucadnezari datam

---

[1]) Quemadmodum etiam nostris temporibus nomina regum ad imperium venientium permutari videmus.

frangere posset, fallacibus ad id svadentibus prophetis. Videtur Sedecias rex statim ad Babylon. regem bona fortasse recuperandi causa legatos misisse (Jerem. 29, 3), seu, ut vult des Vignoles (1. pg. 463), ut Nebucadnezari, qui in Ninive (?) obsidenda fuit occupatus (Herod. 1. 106. des Vignoles 2. 416), gratularetur. Neque vero quidquam impetratum esse videtur, cum post quatuor annos ipse Babylonem proficisci cogeretur (Jerem. 51, 59 coll. 28. 1. et 29, 14). Hic *primum* oritur quæstio, quomodo verba: בראשית ממלכת צדקיהו מלך יהודה בשנה הרביעית sint intelligenda, cum ex imperio undecennali annum quartum *initium* vix recte dicere possit quisquam[1]; neque placet ea ratio, quam difficultatis amovendæ causa finxit Michaelis, qua anno sui regni quarto demum *regis* et nomen et dignitatem Sedeciam accepisse statuit, cum antea *ad tempus* modo imperio a Babylon. rege esset præfectus, quod ex Sedeciæ Babylonem versus itinere conjecisse sibi visus est Michaelis; idque parum probabiliter; nam cum וימלך et המליך de eo usurpetur, hoc verisimile non est. Propius a vero absumus, si cum Usserio et Jac. Capello vitium aliquod in alterutrum locum irrepsisse statuimus collata versione Græca. *Deinde* quæritur, *quando* Moa-

1) Defendere nuper voluit *Maurer* (Comment. 1. pg. 611 et 612): „scriptores Hebræos tempus distingvere solere in רֵאשִׁית initium et אַחֲרִית finem“ contendens, ideoque non mirum esse Sedeciæ annum quartum „initio accenseri, quum undecim annos regnaverit.“ Quam distinctionem num Hebræi fecerint *alio sensu*, quam quilibet sermo, me quidem latet; alii quoque negarunt (cfr. Rosenm. 11. pg. 15).

bitarum, Ammonitarum, Edomitarum et Sidoniorum legatos ad se admiserit (Jerem. 27, 3. 28, 14). Plerique *ante* Sedeciæ ad Babylonem profectionem a vicinis regibus Hierosolymam legatos esse missos censent, ut regi Judaico imperium gratularentur; quod quidem, cum nec opibus valeret nec amicitia cum iis esset conjunctus Sedecias, parum videtur probabile. Verisimilius rem expedivit Hitzigius, qui eodem anno, quo rex a Babylone est reversus, et istorum populorum legatos Hierosolymam venisse et Judæos fædus icendi causa in Ægyptum profectos (Ezech. 17, 15) clare docet (pg. 193). Nec dubium est, cur missi sint legati. Consilia enim illi reges agitabant, qua ratione aut Babyloniæ regi possent resistere aut jugum ejus saltem excutere. Itaque irritæ fuerunt Jeremiæ hanc conspirationem dissvadentis populisque excidium minitantis orationes, irritæ Ezechielis idem urbis excidium ad Euphratem vaticinantis minæ (Ezech. 17, 15, 24 cfr. v. 18. 19. 21. Jos. Ant. X. 7. 2). Sedecias, cum fidem et jusjurandum Nebucadnezari datum fregisset, fædere cum Ægyptiorum rege inito anno sui imperii vel septimo vel octavo a Babylone defecit. Quo audito, Babylonius exercitum coactum contra Hierosolymam duxit, dubius, quos ex populis conjunctis primos aggrederetur (Ezech. 21, 19—24), annoque Sedeciæ *nono* Hieros. *obsidione cinxit* (2 Reg. 25. 1. 2 Chr. 36, 17. Jerem. 39, 1. 4). Initium obsidionis *decimo mensis decimi die* (Jerem. 52, 4; Ezech. 24, 1—2) est factnm. Sedecias, qui inter timorem et spem dubius hæsit, per legatos Jehucalem et Zephaniam a Jeremia propheta impetrare voluit, ut pro ipso ad Deum preces funderet (Jerem. 37, 3);

jam enim exercitus Nebucadnezaris, cum Hieros. aliisque nondum captis oppidis conflicturus, ea, quæ sola relicta erant oppida, Lachisam et Asecam obsidebat (Jerem. 34, 7), urbemque ita obsidione pressit, ut rex et Ægypti auxilium anxie circumspectaret (Jerem. 37, 6 sq.) et servos secundum legem Mos. manumitti juberet. Vanum illud fore auxilium prædixerat Exechiel 29, 1—3, cujus verba הַתַּנִּין הַגָּדוֹל הָרֹבֵץ בְּתוֹךְ יְאֹרָיו אֲשֶׁר אָמַר לִי יְאֹרִי וַאֲנִי עֲשִׂיתִנִי egregie conveniunt cum iis, quæ de eodem rege habet Herod. II. 169 cfr. 161. Is enim fuit *Apries*, חפרע (vide § 3). *Anno obsidionis fere præterlapso, cum fame jam urgeretur urbs,* Apries castra Judæis opem laturus movit (Jerem. 37, 6 sq.) idque frustra; erat, quemadmadum Ezechiel est vaticinatus, מִשְׁעֶנֶת קָנֶה, quo niti posset nemo. Chaldæi, regis Ægypt. adventu audito, Hierosolymam reliquerunt, ut illis occurerent, deportatis, qui in Nebucadnezaris manus inciderant, 832 Judæis in Babyloniam (Jerem. 52, 29). Interim Sedecias populusque omni se jam periculo liberatos esse rati, quanquam alia vaticinatus est Jeremias (37. 10, 11), quos dimiserant servos, eos iterum repetebant (Jerem. 34, 11), quam ob crudelitatem et ὑπόκρισιν graves Dei pænas minitatus est Jerem. (34, 17—22) [1]. Aprie, etsi fortasse non fugato,

---

[1]) Ad id tempus horribiles illæ minæ pertinent Jerem. 19, 9 coll. Ezech. 24, 1 sq., fore ut infantium carnibus vescerentur patres matresque, quod tristi eventu comprobatum est. Lam. 2, 20. 4, 10. Viderant tam triste spectaculum jam antea Samaria urbs 2 Reg. 6, 28—29 (cfr. des Vignoles I. 497); postea Calaguris, urbs Vasconum

ut fere omnes volunt, tamen a conatu deterrito [1]), revertitur Nebucadnezar, urbem graviore pressurus obsidione. Jeremias, cum sæpissime, ut Chaldæis se traderent, ne fama, igne et cæde perirent (38, 2), svasisset et ipse in patriam regionem (37, 11 sq.) abire vellet, captus est et in vincula conjectus, postea quidem liberatus, sed cum aliud se auxilium, quam ut Chaldæis se traderent, nosse identidem negitaret, *a principibus in foveam dejectus est* (38, 6), *in qua, nisi Ebed Melechi, Æthiopis cujusdam, ope esset liberatus*, vitam amisisset [2]), cum Sedecias imbellis et inter varia agitatus consilia eum servare et vellet, nec posse se confiteretur. Jam munitionum opera contra urbem augebantur, jam horribili modo ingravescebat fames, jam pestis contagio corpora confecit (Jerem. 32, 24, 36), neque rex aut populus flectitur, donec his malis amplius resistere non

---

in Hisp. Tarrac. (Juven. 15, 93 sq.), Saguntus (Liv. 20, 21) et aliæ urbes.

1) Recte Hitzigius: „nachdem sie den Hophra abgetrieben.“ Josephus vero l. c. § 3 ἀπαντήσας δὲ τοῖς Αἰγυπτίοις καὶ συμβαλὼν αὐτοῖς τῇ μάχῃ νικᾷ; unde hæc hauserit parum comparet, cum neque sacræ litteræ, neque Herodotus de pugna quidquam narrent. Et sane dubium exoriri debet ob temporis brevitatem; mox enim redisse Nebuc. constat. Recta vidit ex Jerem. 37, 7 Prideaux. Huc vero referendum esse Ezech. l. c. non certum est.

2) Ad id tempus pertinere Ps. 30 ingeniose probavit Hitzig. l. c. pg. 66; jam multis annis ante Hitzigium idem spectavit et professus est Gesenius Hall. Litt. 1811. Ergänz. pg. 643.

potuit urbs fame exinanita (2 Reg. 25, 4); post 40 dies, quum ab Ægyptiis depellendis reversi erant Babylonii (Ezech. 4, 6?), urbs invadentibus occubuit hostibus. De hac re legitur 2 Reg. 25, 4. ותבקע העיר וכל אנשי המלחמה הלילה דרך שער בין החמתים אשר על גן המלך וכשדים על העיר סביב וילך דרך הערבה Coll. Jerem. 39, 2—7. 52 7—11, quibus ex locis docemur: a) militum præfectos fuisse Nergal, Scharezer, Samgarnebu, Scharschim; b) expugnationem factam esse nocte inter diem 8^{vum} et 9^{num} *mensis quarti*, postquam undecim annos regnaverat Sedecias. Is, cum noctu aufugere vellet, in planitie Hierichuntina captus est cum tota familia multisque viris militaribus (Jerem. 38, 5).

Hic mihi aliquid dubii ex situ locorum exoritur. Nam cum quanam urbis in parte *porta inter duos muros hortique regis* esset sita, ignoremus, pro certo definiri nequit, unde impetus in urbem a Chaldæis factus sit. *Olshausen* (zur Topographie Jerus. pag. 49) „2 Reg. 25, 4. Jerem. 39, 4. 52, 7. wird das Thor „zwischen den beiden Mauern erwähnt, das zu des „Königs Garten führt. Ohne Zweifel war dies Thor an „der *Südseite* der Stadt und vielleicht dasselbe, was „sonst das Brunnenthor heisst (Nehem. 3, 15. 12, 37). „Die beiden Mauern bin ich geneigt von der Mauer-„strecke, die östlich um die untere und westlich um „die obere Stadt ging, zu verstehen, so dass dies Thor „die Käsemacherschlucht in der Nähe der Quelle Si-„loam verschloss. Doch ist leicht möglich, dass hier „zwei unbedeutende Mauern gemeint sind, deren sonst „keine Erwähnung geschieht. Auch Jesaias 22, 11 „giebt über dieselbe kein Licht.“ Etiam Hitzigius, ut

Romanos postea, ita Chaldæos quoque a parte *septentrionali*, ut quæ loci natura non esset munitissima, aggressos urbem expugnasse credit, conferrique jubet 2 Reg. 20, 4. Neutri clar. virorum adstipulari posse mihi videor, nam quod 2 Reg. 20, 4 עִיר הַתִּיכוֹנָה memoratur [1]), inde minime sequitur שַׁעַר בֵּין הַחֹמֹתַיִם huc esse referendum. Deinde ipse Olshausen pag. 45: „Wenn man die natürliche Lage von Jerusalem kennt, „wird man an sich nicht geneigt sein, eine äussere „Mauer, ausser der allgemeinen Ringmauer, an einer „*anderen Seite* derselben zu suchen, als an der *Nord-* „*seite.*" Denique Sedecias in regione Hierichuntina interceptus, *septentrionem* versus fugisse cernitur. Atque, ita omnibus inter se comparatis, haud scio an omnium rectissime viderit *Faber* (Archæol. pag. 336): „Dieses Thor, inquit, war nicht das Brunnenthor, son- „dern vielmehr ein besonderes, das südlicher lag, und „welches David oder ein anderer König zu seiner „eigenen Bequemlichkeit hat durchbrechen lassen, um „aus der obern Stadt gerade zu in den königlichen „Garten zu kommen. Von demselben ging eine be- „sondere Treppe hinab Neh. 3, 15. Es kann also nicht „unter die Zahl der öffentlichen Thore gesetzt werden."

---

1) Hoc potius cum 2 Chr. 33, 14. 32, 5 et Jerem. 21, 4. Vehementer vereor, quanquam timide et caute dico, ne is, qui in Lexico Bibl. Calmettiano Tom. 3. Hierosolymæ per Nebucadnezarem factam expugnationem notis suis illustravit, Celeb. *Folardius*, verba Jos. Ant. 10, 8, 2 περὶ μέσην νύκτα ita sit interpretatus, ut impetus *a septentrione* factus describi ei videretur.

§ 8.

Utut est, Sedecias captus Riblam, ubi tum erat Nebucadnezar, deductus, postquam filii ante patris oculos essent necati *multique alii trucidati*, (Thren. 5, 12) oculis est orbatus, vinculis oneratus et Babylonem abductus. Respondit igitur eventus prophetarum vaticiniis, quo oculis suis regis Babylonii faciem eum visurum (Jerem. 32, 4. 34, 3), Babylonem abductum iri nec tamen ipsam urbem conspecturum (Ezech. 12, 13) ibique moriturum esse dixerant. [1]). Babylone, vivente Nebucadnezare, quoque mortuus esse videtur, nam si ei superstes fuisset, sine dubio ab Euilmerodacho, ut Jechonias, in libertatem esset vindicatus. *Mensis vero quinti die septimo Nebusaradan*, militum Nebucad. præfectus (2 Reg. 25, 8), Hierosolymam venit (בָּא) *anno Nebucadnezaris decimo nono*, templum, palatium, omnia ædificia combussit, columnas bases et lacum æneum confregit, murum destruxit, incolas, paucis iisque ex

---

1) Joseph. Ant. X. 7, 3. optime concinnavit: *ταῖς δὲ προφητείαις αὐτῶν Σεδεκίας ἠπίςησεν, ἐκ τοιαύτης αἰτίας. Τὰ μὲν ἄλλα πάντα συμφωνοῦντα τοὺς προφήτας ἀλλήλοις εἰπεῖν συνέβη, ὥςε ἡ πόλις ἁλώσεται καὶ Σεδεκίας αὐτὸς αἰχμάλωτος ἔςαι· διεφώνησε δὲ Ἰεζεκίηλος εἰπών, οὐκ ὄψεσθαι Βαβυλῶνα τὸν Σεδεκίαν, τοῦ Ἰερεμίου φάσκοντος αὐτῷ, ὅτι δεδεμένον ὁ Βαβυλώνιος ἄξει βασιλεὺς. Καὶ διὰ τὸ μὴ ταὐτὸν αὐτοὺς ἑκατέρους λέγειν καὶ περὶ ὧν συμφωνεῖν ἐδόκουν, ὡς οὐδ᾽ ἐκεῖνα ἀλεθῆ λέγεσθαι καταγνοῦς ἠπίςησε·* Et. 8. 2. *Καὶ ταῦτα αὐτῷ συνέβη, ἃ Ἰερεμίας τε καὶ Ἰεζεκίηλος προεφήτευσαν αὐτῷ, ὅτι συλληφθεὶς ἀχθήσεται πρὸς τὸν Βαβυλώνιον καὶ λαλήσει αὐτῷ κατὰ ςόμα καὶ ὄψεται τοῖς ὀφθαλμοῖς τούς ὀφθάλμους αὐτοῦ· καὶ ταυτὰ μὲν Ἰερεμίας εἶπε· τυφλωθεὶς δὲ καὶ ἀχθεὶς εἰς Βαβυλῶνα ταυτὴν οὐκ εἶδε, καθῶς Ἰεζεκίηλος προεῖπε.*

infima plebe relictis, deportavit (v. 11), principesque Riblam abduxit, ubi supplicio sunt *affecti* Thr. 5. 12. Hoc *decimo mensis quinti die* factum esse legimus Jerem. 52, 12. Nollem hæc ita conjungi, ut nonnulli voluerunt, Nebusaradanem die *septimo* a Ribla profectum *decimo* Hierosolymam advenisse; tantum enim erat inter Riblam et Hieros. spatium, ut ne expedito quidem, nedum exercitui, per triduum iter confici posset; neque, ut alii docent, numerorum aliquod vitium per litteras inductum esse credo. At facile fieri potuit, ut, qui die septimo advenisset, non ante decimum opera exstruere posset; alterum ab Reg. alterum ab Jerem. 52 autore observatum. Ceterum hoc quoque memoratu est dignum, quod Nebusaradan non nominatur inter præfectos, qui *quarto* mense urbem ceperunt; tum igitur ab hac expeditione abfuit. Hic mihi error aliquis Hitzigio obrepsisse videtur. Is enim de captivis: „Ihre geringe Zahl, die nicht auf tausend „stieg (Jerem. 52, 29), zeigt, wie verheerend der Krieg „gewüthet hat“ pg. 203. Oblitus est vir Clar. hic legi בִּשְׁנַת שְׁמֹנֶה עֶשְׂרֵה, ipsumque contendisse, Hierosolymam per Nebusaradanem captam esse anno Nebucadnezaris *decimo nono*, quem annum contra Berosum, qui decimum septimum, et Josephum, qui annum decimum octavum fuisse statuit, defendit[1]). Igitur eam deporta-

---

1) Fidem huic loco abrogat pg. 203 not.: „der *Flicken* Jerem. 52, 28 sq.;“ neque tamen non hoc loco suam de deportatorum numero sententiam pg. 204 fulcit, quod ut sit critici, vereor. Kennicot, Zwinglium secutus versus 28—30 ab *aliena manu* esse insertos credit (Dissert. secund. edit.

tionem, quam legimus Jerem. 25, 29, non ad excidium per Nebusaradanem factum referendam esse puto, quod mihi quidem eo verisimilius videtur, quia versu sequente v. 30. de Nebusaradane narratur, cujus nomen, si tum incolas deportasset, vix omisisset v. 29, sed, quemadmodum jam supra § 7 demonstravimus, ea deportatio ad *annum superiorem*, quo anno Ægyptiorum regi obviam ivit Nebucadn., pertinet.

§ 9.

Inter eos, qui relicti sunt in Judæa, fuit quoque *Jeremias vates* (Jer. 39, 11—14), quem vinculis solvit victor (40, 1) eique eligere permisit, utrum Babylonem cum Nebucad. abire an in desolata patria remanere mallet (40, 4). Hoc placuit. Hominibus pauperibus rusticisque, quos in Judæa reliquit, Nebucad. præfecit *Gedaliam* (2 Reg. 25, 22 cfr. Jerem. 39, 14), Ahicami filium [1]), Saphani nepotem, virum prudentem et honestum, ad quem Mitzpæ morantem et ii sese contulerunt, qui præ timore Chaldæorum ex Judæa elapsi (Jerem. 40, 11) jam reverterunt, et populi *principes* per terram vagantes (Jerem. 40, 7. 8; horum celeberrimi erant *Ismael*, Nathanjahu filius, Johanan et Jonathan, Kerachi filii, Seraja, filius Thanchumet — qui omnes, quanquam Sedeciæ exercituum fuerant duces,

---

Teller pg. 415, 16), quod vix opus est statuere. I. D. Mich. Comment. de exsilio decem tribuum pag. 50 sq.

1) Is Ahicamus jam Josia imperante honestis rebus nobilis 2 Chr. 34, 20, sub sequentibus regibus rebellionem contra Babylonios dissvaserat (Jerem. 26, 24).

tamen in agris delituerant) et *ipse Jeremias.* Gedalias vero, qui ab Johanane monitus, ne Ismaeli ab Ammonitarum rege, ut ipsum interficeret, subornato fidem haberet (Jerem. 40, 15), cum animi ob integritatem monita sperneret, *septimo mense*[1]) ab Ismaele inter epulas misere est trucidatus, qua de re legendus Jerem. cap. 41. Quod vero v. 5 dicuntur לְהָבִיא בֵּית יְהוָה venisse aliquot viri, id non cum Rosenm. Maurero aliis de *ara in loco, ubi steterat templum*, exstructa dictum esse arbitror, sed potius de *Mitzpa*, quod ad oppidum jam antea religiosus quidam locus fuisse videtur 1 Sam. 7, 5 (1 Reg. 15, 22), itemque et postea 1 Macc. 3, 46 (cfr. de Wette Beiträge 1. 239). Postquam Ismael, qui multos homines captos in Ammonitidem abstrahere voluit, a Johanane aliisque esset interceptus vixque cum octo hominibus esset elapsus (Jerem. 41, 14. 15), reliqui incolæ, ne Chaldæi Gedaliæ mortem ulciscerentur, timentes, Jeremiæ consilio (42), qui eos, qui in Ægyptum confugerent, fame, peste et gladio interituros esse minatus erat, contemto, cum vatem Chaldæorum gratiam quærere criminarentur, in Ægyptum aufugerunt, coacto, ut videtur, Jeremia, ut ipsos sequeretur (43, 6). In Ægypto tum regnabat, ut supra diximus, Apries. Is Judæos *Tachpanche* (תַּחְפַּנְחֵס Jerem.

---

1) Hujus rei in memoriam jejunium est institutum Zach. 7, 5; habebant quoque, ut ex Zach. 8, 19 cernimus, statim post exsilium jejunia et *mense quarto* ob primam Chaldæorum in urbem invasionem (§ 7), et *mense quinto* ob templi devastationem (§ 8) Zach. 7, 3, et *mense decimo* ob obsidionis initium (§ 7).

43, 7. 44, 1. 46, 14; scribitur etiam תחפנחס Ezech. 30, 18, quæ urbs Daphne est Græcis, et *Τάφναι* Judith. 1, 9. haud procul a Pelusio), *Migdole*, *Memphi* et *Patro* (Jerem. 44, 15) considere jussit, nequaquam monente Jeremia, idem, quo affecta erat civitas Judaica, fatum manere quoque Ægyptios (42, 15—18. 44, 30. cfr. Herod. 2, 161. Diod. 2, 68. Strabo 15 pg. 687 et Ezech. 32)[1]. Neque illi tamen patriæ clade ab idolorum cultu sunt absterriti, et, ut fit in animis malorum mole *obduratis* neque ad resipiscentiam reductis, Jeremiæ vaticiniis obstinate spretis, se, quando Jehova nullam tulisset opem (Jer. 44, 17 sq.), ab idolis eam petere velle, contumaciter professi sunt. Ab hoc tempore nulla amplius Jeremiæ fit mentio; quod enim recentiores narrant, eum Daphnes in Ægypto lapidibus fuisse cæsum (cfr. Hebr. 11, 37); id pro vero et certo haberi nequit[2], quanquam sepulti locum grata posterorum conservavit memoria[3]. Egregiam ejus indolem vehementemque in patriam amorem elegantibus verbis descripsit Hitzigius (pg. 205).

Neque tamen omnes Judæorum calamitates cum devastata patria erant exhaustæ. Dum Nebucadnezar per tredecim annos Tyrum obsideret (Ant. X. 11 et

---

1) De Nebucadnezaris contra Africam suscepta expeditione conferendus quoque Credner ad Joel pg. 78—79 et Ilgenii Zeitschrift für historische Theologie Vol VI. 1836 pag. 164.

2) cfr. Hieron. advers. Jov. 2, 37; Pseudo-Epiph. Opp. II. 239 et quæ disputavit in introd. ad V. T. II pg. 137 Carpzovius.

3) Lucas Reisen I. 37.

contr. Apion. 1. Ezech. 26), interim per Nebusaraddanem *vicesimo tertio Nebuc. anno*[1]) 745 homines in exsilium abducti sunt (Jerem. 52, 30, des Vignoles II. 450 sq. Prideaux p. 90); hæc fuit extrema calamitas, qua a Babylonia percussi sunt Judæi; jam et Hierosolyma et tota Judæa ad extremam redacta erat desolationem et vastitatem.

---

1) Sine dubio erravit Joseph. l. c. qui istos Judæos ex *Ægypto* tum (anno 23 Nebuc.) Babylonem deductos esse (Ant. X. 9 § 7), neque admittenda videtur *Wineri* sententia, qui statim post Gedaliam cæsum ultimam deportationem factam arbitratur.

II.

De libro, qui inscribitur אֵיכָה, disputatio critica.

§ 10.

De horum carminum argumento.

Tristia illa, quæ ennaravimus, tempora quinque deflentur carminibus, quæ vel ex verbo primo אֵיכָה vel ex argumento קִינוֹת [1]), Græce *θρῆνοι*, Latine: *Lamenta* seu *Lamentationes* vocantur et inter Hagiographa s. c. (כְּתוּבִים) inveniuntur [2]). Horum *primum* Hierosolymam deplorat quamvis stantem, tamen desolatam, incolis orbam, alieno imperio subjectam (I. 1 sq.), civibus interfectis, templum contaminatum et splendore suo privatum (I. 7). Hæc mala ob populi peccata urbi inflicta (I. 8) vatis animum summo afficiunt mærore, ut vividis imaginibus divinas describat vindictas (I. 13),

---

1) Illud nomen in codicibus Biblicis, hoc in Rabbinorum commentariis occurrit.

2) Omnino prætereundæ nobis videntur opiniones *Catholicorum* nonnullorum, ut *Bellarmini* de gemitu Columbæ, qui *ecclesiæ militantis* querelas, et *Origenis Olympiodorique*, qui *τροπολογικὰς animi peccantis lamentationes* in nostro libro contineri censuerunt cfr. Goldwitzer in libr. mox citando pg. 5 et 6.

despectam populi condicionem, cui nullum esset auxilium (I. 17), quam irrident et ludibrio habent et hostes et fallaces amici (I. 19), quare nisi a Deo, opem sperat nullam, qui in hostes ea, quibus populum affecit, mala erit recturus (I. 20—22). Graviores sunt querelæ *carminis secundi*; Dei ob iram Hierosolymam videmus jam vastatam, templum combustum, munimenta dejecta, portas destructas (II. 1—10), senes summo squalore lugentes (II. 10), *fame*, cæde, igni omnes perditos (II. 11—13), urbem, a falsis prophetis sacerdotibusque corruptam (II. 14), ludibrio omnium expositam (II. 15—16), quæ mala omnia a Deo profecta sunt (II. 17): Jehovæ igitur misericordiam identidem implorat, ut qui his populi sui calamitatibus non potest non moveri (II. 18—22). *Tertium θρηνοδικὸν* carmen *ipsum poetam* nobis exhibet malis inde a prima juventute jam pressum et pæne prostratum, in quibus tamen ipsis Dei sæpe expertus est benignitatem (III. 1—20), quam de futuro quoque tempore sperat, cum ipsæ calamitates experto prosint (III. 23—33). A se ipso ad tristem populi condicionem ex vitiis illam quidem ortam (III. 34—39), neque, nisi vera animi poenitentia, emendandam (III. 40—57) sese convertit vates, qui, cum hanc resipiscentiam haud sperandam videat, iterum populum (III. 48—50) seque ipsum (51) deplorat, adversariorum calumniis persecutionibusque misere vexatum (III. 32—66). *Quarti* carminis argumentum *secundo* est simile, neque tamen suis non gaudet dicendi elegantiis; comparat vates pristinæ condicionis splendorem cum sui temporis calamitate (IV. 2, 5—8), in qua etiam matres fame ex-

animatæ omnem animi clementiam exuerunt (IV. 18); ira Dei ob populi scelera vehementissime effervescente (IV. 15—16), vana sunt omnia, quibus fidem habent, auxilia (IV. 17 cfr. § 7), cum hostes acerbiores sint quam ut evitari possint (IV. 18—20); neque ulla restat spes, nisi quod, quoniam de populi Judaici calamitatem exsultant Idomæi, ii punientur et, quando finitæ fuerint iniquitates Judæorum, peccata eorum remittentur, dum vindictas divinas easque gravissimas sentient hostes (IV. 21—22). *Quintum* denique carmen alia nobis offert spectacula; patriam enim deplorat *jam plane vastatam*, *rege orbatam* (V. 2—3), servituti traditam, servitutisque mala perpetientem (V. 4—13); nihil non confusum et luctu obscuratum (V. 14—17), feras in desolata terra circumvagantes (18). Sed quamvis hæc urgerent mala, non omnes tamen spes abjicit vates; Jehova enim sui populi non obliviscitur; per veram animi pænitentiam aditus ad Dei misericordiam rursus pandetur (V. 18—22)[1].

§ 11.

De temporibus, ad quæ hæc carmina referenda videntur.

Tristia hæc qui animo conceperit, vix dubitat eas h. l. deplorari calamitates, quæ *inde a Chaldæorum*

---

[1]) Singuli carminis argumentum ex interpretibus melius exposuit nemo, quam *K. W. Wiedenfeld*, cujus elegans liber: *Jeremiahs Klagelieder neu übersetzt und erläutert, Elberfeld* 1830. 8," etsi in hominum hebraice non callentium usum conscriptus, multa tamen continet ad nostrorum carminum indolem illustrandam.

invasione usque ad ultima reipublicæ tempora populo Judaico acciderunt [1]). Id carminum tempus agnoverunt *Carpzovius* (Introd. ad V. T. III. Lips. 1731 pg. 181 sq.), *Eichhornius* (Einleit. edit 2, II pag. 626 sq.), *Jahnius* (Einleit. II. pg. 571), *Bertholdtius* (Einleit. V. pg. 2316 sq.), *Börmelius* (Jeremias Klagegesänge, Weimar 1781 pg. 35 sq.), *Horrer* (Neue Bearbeit. der Klaggesänge. Hall. 1784), *Riegler* (Die Klagelieder des Propheten Jeremias, Erlang. 1814 pg. 1 sq.), *Wiedenfeld* (l. c.), *Pareau* (Threni Jeremiæ philol. et critice illustratæ. Lugd. Bat. 1790) [2]), *Goldwitzer* (die Klaglieder des Propheten Jeremias. Sulzb. 1828 pg. 3 sq. Nr. 3), *Koch* (Die Klagelieder des Propheten Jeremias. Mainz 1835 pag. 2 sq.), *Rosenmüller* (Schol. in V. T. VIII. 2 pg. 458), *Alii*, præeuntibus jam LXX, qui in initio habent: „*Καὶ ἐγένετο μετὰ τὸ αἰχμαλωτωθῆναι τὸν Ἰσραὴλ καὶ Ἱερουσαλὴμ ἐρημωθῆναι ἐκάθισεν Ἱερεμίας κλαίων καὶ ἐθρήνησε τὸν θρῆνον τοῦτον ἐπὶ Ἱερουσαλὴμ καὶ εἶπε,*“ et *Vulg.*, in qua hæc leguntur: „et fac-

---

1) Ita *Wiedenfeld* l. c. pg. 2: „Inzwischen haben wir die-„selbe nicht so zu fassen, als wenn Jeremiah nur *die* „*Zerstörung Jerusalems* im engsten und eigentlichsten „Sinne des Wortes zum Gegenstande seiner Klaglieder „geweiht hätte; vielmehr glauben wir, dass die ganze „*Summe des Jammers*, womit Jerusalem vom Beginne „der letzten Belagerung unter Nebucadnezar bis zu „deren schrecklichen Ausgange überschüttet worden, sich „vor die Seele des heiligen Sängers gestellt“ etc.

2) Hujus librum, quanquam multis ex locis a me quæsitum, inspicere non licuit; itaque modo ea novi, quæ exstant in Bibl. Eichh. Tom. III. pg. 150 sq. et apud Rosenm.

„tum est, postquam in captivitatem redactus est Israel „et Jerusalem deserta est, sedit Jeremias propheta flens „et planxit lamentatione hac in Jerusalem et *amaro* „*animo suspirans et ejulans dixit.*“ Hi LXX et Vulg. tituli (quibus accedit, quod quintum carmen a Vulg. inscriptum est: „oratio Jeremiæ“), etsi neque in Hebr. neque in Syr. neque in Chald. aut Arabico textu leguntur, argumentum tempusque recte indicare censendi sunt, modo *in universum* dicta existimentur nec ad *singula* carmina referantur. Maximi autem est momenti, quanquam et ipsum est difficillimum, definire, ad quod tempus quodque pertineat carmen, cum accurata horum threnorum lectio neminem non facile doceat, non easdem deplorare calamitates, sed a minore ad majorem luctum progredi vatem (cfr. § 10), quo fit, ut ad diversa tempora referri oportere ea videant lectores. Hac de re paucissimi modo disputarunt interpretes, iique, qui singulo carmini suum conati sunt tribuere tempus, sæpe levibus conjecturis nixi suas protulerunt sententias; neque nos, nisi quæ ex historiarum cum carminum argumento conjunctione sequi nobis videntur, proferre audemus, ea, quæ veri similia, non quæ vera esse dicimus, indagare conati.

Itaque *de primo capite*, quod *Horrer et Jahnius* ad *Jojachini deportationem*, de quo diximus § 5, referendum esse censuerunt, assentiente quoque *Rieglero* pag. 9, alia nobis est sententia. Si enim accurate inspiciamus in illud carmen, nonnulla, quæ in ista Jojachini tempora cadere vix possunt, inveniemus; calamitas enim sub Jojachino, quamvis acerba, non tam dura fuisse videtur, neque urbis obsidio tantis conjuncta

malis, ut tam graves querelas excitare possent. Nihil enim 2 Reg. 24, 8 sq. legimus de fame ingravescente cfr. I. 6, 11, nihil de adversariis de Hieros. excidio exsultantibus I. 7, 21, quæ legationi fædus cum Sedecia quærenti (§ 7) repugnare videntur; denique non tot trucidati I. 15, quam deportati esse videntur. Hæc vero omnia in primam cadunt obsidionem sub *Sedecia* factam cfr. 2 Reg. 25, 1 sq. et § 7, quo tempore urbs fame jam pressa in hostium venerat manus, neque tamen omnino erat devastata, quam vastationem *quinto denique mense* factam esse legimus 2 Reg. 25, 8 sq.[1]). Ad tempus *post hunc ipsum quintum mensem* i. e. statim post *cosummatum urbis excidium* pertinere carmen *secundum* haud ambiget, qui ea, quæ de argumento § 10 diximus, comparabit cum narratione de expugnatione urbis, qualem nobis exhibet 2 Reg. 25, 8—21; multa enim et in hoc et in illo loco, præsertim si adjunges Jerem. 39, ejusdem argumenti esse invenies. Neque ab hoc tempore alienum est *carmen quartum*, nisi quod post regem Sedeciam captum scriptum hoc quoque esse, docet IV. 20[2]). Ex argumento vero, quod § 10 ex-

---

1) Ita quoque censuit *Pareau*, qui Jerem. 37, 5 i. c. idem obsidionis tempus laudat. cfr. § 7. Neque contra hanc sententiam aliud protulit Bertholdtius (pag. 2318) quam: „diese Meinung möchte sich aber schwerlich vertheidigen lassen," quibus in verbis non argumentationem, sed nudam assertionem cernimus. Cur autem ista sententia, qua et Thren. 1 et 2 Reg. 25, 1 bene cohærere docetur, non possit defendi, equidem non video.

2) Nullius profecto momenti est id, quod monet *Dathe*, de cujus sententia mox plura disputabimus (Prophetæ ma-

plicavimus, cernitur, *quintum carmen* optime convenire in tempus, quod serius incidit post urbis excidium, *cum omnes res fidei Gedaliæ essent commissæ* (cfr. § 9), neque tamen non ita perturbatæ, ut summam producerent calamitatem et reipublica formam plane deletam. Si autem in *tertio carmine* virum querentem legimus se in *tenebris* incedere, III. 2. 6, circumseptum esse vinculisque oneratum III. 7., quasi murum sibi ex lapidibus obstructum III. 9, ab hostibus vehementer se vexatum III. 52, in foveam dejectum (III. 53. 54) etc., vix dubitare possumus, quin *Jeremiam* hic habeamus, in foveam se dejectum esse querentem, cujus rei historiam legimus Jerem. 38, 4—14, magnumque hæc sententia accipit pondus, si Ps. 30 et 69 eodem tempore a Jeremia confectos esse statuimus, quod quidem eruit nobis ingenium Hitzigii (Begriff der Kritik pag 66 cfr. § 7).

His ita disputatis, nullam alterius opinionis faceremus mentionem, qua hæc carmina *in Josiæ obitum* confecta esse volunt, autoribus, ut ajunt, 2 Chron 35, 25; Antiq. X. 5. 1, quam sententiam suam fecerunt *Hieronymus* ad Zach. XII. 11 et ad Thren. *Tarnovius* (Comment. in Threnos. Hamb. 1707 pg. 4 seq.), *Calo-*

---

jores edit. I. pag. 426), „in fovea capi" h. l. figurate dictum esse, neque de Sedecia hæc diei potuisse, qui non in fovea, sed in campis Hierichuntinis captus est. Concedimus nos quoque שְׁחִית adhiberi h. l. ut Ps. 107, 20 de insidiis collocatis, imagine ex feris, quæ in foveis capiuntur, petita, esse dictum, neque hoc obstat, quod in campis Hiercihunt. interceptus est rex; ibi quoque insidiæ collocari et possunt et potuerunt.

vius (Bibl. Illustr. 1. pg. 1293), *Michaelis* (ad Lowth de sacra poesi pg. 457 et in annot. ad vers. Thren. Germ.), *Dathe* (Prophetæ majores edit. 1. l. c.[1]), nisi magni nominis criticus nostris quoque temporibus *hæc a Chronicorum autore doceri* diceret. Ita enim *de Wette* (Lehrbuch der hist.-krit. Einl. edit. 4. Berlin 1833 pag. 341): „die in dieser Stelle enthaltene littera„rische Notiz", *inquit*, „muss allerdings auf unsre Klag„lieder bezogen werden, und zwar so, dass der Chro„nist in dem einen und andern den Josia besungen „fand. Schwerlich gab es zu seiner Zeit noch andre „Klaglieder." Qua ab opinione S. V. longe discedo. Si enim Chron. locum, quem § 2 attulimus, accurate inspiciamus, nihil aliud ex hoc eruere possumus, quam quod suo loco demonstravimus, lessus in Josiam factos adhuc exstitisse Chron. autoris tempore, non ea, quæ nos sub nomine איכה habemus, lamenta istos esse de Josia threnos. Quod vero vix alios tum exstitisse threnos censet de Wette, id tantum abest ab eo, quod probabile est, ut non solum ab *indole Hebraicarum litterarum*, quæ elegiarum sunt plenæ, refellatur (concedente ipso Archæol. § 263), sed *expressa s. c. verba habeat sibi adversa, quæ carminum threnodicorum tum exstitisse collectionem diserte docent, cum isti de Josia threni in hunc librum relati esse dicantur* (cfr. § 2 pag. 10). — Objecerunt quidem alii, cum Chronicorum libri ultimi in Canonem sint relati, (qua de re vide libros, quos sæpe laudavimus, Keilianum et Moversia-

---

[1]) Mutaverunt postea judicium Michaelis (N. O. B. 1. 106) et Dathe in edit. 2 prophet. maj.

num), mirum esse, si, qui Canonem sacrum concluserint, sive fuerit Esras sive alii, hos de Josia threnos Canonicis libris non adjunxerint, sed eos perire sint passi. At hæc dubitatio speciosior, quam verior; citantur enim in s. c. multi libri (cfr. Wolfii Bibl. Hebr. II pg. 244), quos in Canonicis libris inserere noluerunt Canonis autores, nisi potius dicendum, non ab uno homine sic digerente, sed per temporum progressum confectum esse Canonem (cfr. de Wette Einl. 1. pg. 17), divina tamen providentia ita moderante, ut quinam Canonicis libris essent inserendi, quinam servandi, quinam perirent, constitueretur.

De *Josephi* vero testimonio idem judicium proferre possemus, si statui liceret, alios eum cognovisse libros, qui a sanctis viris scripti ferrentur, quam eos, quos in Canone suo invenerit. Hoc autem, comparato nobili illo loco contra Apionem 1. 8, in quo sub Artaxerxe Canonem confectum esse docet, sumere non possumus. At, qui Josephi scripta diligenter legerit, sæpe animadverterit summam eum in hac re posuisse curam, ne qua discrepantia ex locis s. c. *difficilibus* orta lectores offenderet. Cum igitur in Chron. loco threnos a Jeremia factos inveniret, suoque tempore nostras adhuc exstare videret lamentationes, facile fieri potuit, ut hos ad illos referret, sive vere ita sentiret, sive, ne quid in Canone desideraretur, hoc ita afferendum esse duceret. Igitur ex ejus testimonio nihil colligere possumus.

Hieronymi autem errorem jam ita castigavit *Calvinus* (Prælect. in Lament. Opp. Amst. IV.), ut amplius quid proferri vix opus sit.

Præterquam quod totum argumentum, quale § 10 exposuimus nostraque § dilucidius explanavimus, reipublicæ condicioni repugnat, qualem post Josiæ mortem fuisse supra (§ 2, 3) demonstravimus[1]), ea, quæ contra opiniones ad Chaldæorum tempora nostra carmina referentium proferentur, facile possunt dilui, quod quoque fecerunt *Eichhornius* et *Bertholdtius* (ll. cc.), etsi in argumentis contrariis refutandis ab iis discedo. Nam quod 1. 1 Hierosolymam adhuc stantem, non penitus vastatam deplorat vates, id non cum Bertholdtio ita explicandum censeo, ut locum, ubi stetisset Hierosolyma, adhuc stare diceret vates[2]), sed cum primi carminis tempore, ut supra explicavimus, aptissime convenire putamus. Hoc idem quoque de iis valet, quæ de 1. 10 affert Bertholdtius, temporis rationibus et ipsis rectissime cohærentibus.

Leve deinde est argumentum, quod ex 5. 2 petitur, quo in loco *domus peregrinis traditæ* dicuntur, cum omnia *domicilia combusta esse velint interpp*; neque opus est cum Bertholdtio ad 2 Reg. 25, 9, quo in loco modo *magnæ domus* combustæ dicuntur, referre

---

1) Satis est *Idumæorum* de excidio urbis lætantium nomina (IV. 21) afferre, quæ in Josiæ tempora vix cadere posse videntur.

2) „Denn so wie das ganze Land unter Chaldäischer Bot-„mässigkeit gekommen war, so stand unter derselben „auch der Fleck, worauf Jerusalem gestanden, und „man trifft anderwärts auf Spuren, dass nicht gleich „der Platz, worauf Jerusalem gestanden, ganz menschen-„leer wurde.“ (pg. 2315).

hæc; quis enim dubitabit et domuum alias esse combustas et alias in hostium venisse potestatem?

Afferunt porro l. 9, 5. 5 de sævitia, qua hostes in Judæos in terra sua manentes sævirent, „cum tamen Chaldæi in plebeios et tenues, quos in terra reliquissent, summa uterentur clementia", quod ex Jerem. 40, 9. 42. 10 eruunt. At quid hi tandem docent loci. Nihil profecto. In priore hominum remanentium animos excitatos esse legimus a Gedalia, ne Chaldæos timerent; in altero illos, qui restitissent in terra Jud., Gedaliæ curæ a Nebusaraddane commissos et ab Ismaele captivos abductos esse videmus. Nihil vero de Chaldæorum in remanentes clementia narratur; neque a vero abesse potest, dominos Chaldæos, quot malis incolas afficere potuerint, tot in eos effudisse. Huc accedit quod l. 9, 5. 5 non tam de tempore post obsidionem, quam de obsidione ipsa loquuntur. — Mira sane videntur, quæ ex 3, 27 collegerunt Dathe et Mich.; dicunt enim hæc *juvenis* esse, autorem vero (Jerem.) jam fuisse senem, cum ista caneret. Neque enim quisquam unquam definiet, cur vertatur ab iis: „bonum est homini, si jugum *ferat*" et non: „si jugum *tulerit*"; generalem igitur, ut ait Rosen., continet v. 27. sententiam. Gravissimum videri potest, quod denique argumentantur, neminem Sedeciæ tempore 5, 7. „Majores nostri peccarunt, qui jam non sunt, et nos eorum peccata luimus" dicere potuisse; ob sua enim peccata deterrimi isti homines plectebantur. Hoc autem temporibus ultimis non repugnat. Nam non solum responderi potest, quod jam observavit Eichh. (pg. 529), poetæ dolore perforatum animum verba sua non tam accurate ponderare ac metiri, quam

qui sermone utitur pedestri; sed hoc quoque addi potest, verum esse, quod h. l. dicitur. Quamquam enim sua lueret populus peccata, negari tamen nequit, etiam majorum scelera, quæ corrigere non jam esset in eorum potestate (cfr. Comment.), ad populi calamitates augendas multum valuisse. His ita disputatis, convertimus nos ad quæstionem

§ 12

de interna horum carminum indole.

Jam supra monuimus, qui horum threnorum argumenta conspexerit temporaque eorum reputaverit, ei facile persvasum iri, non *uno tenore* hæc conscripta esse carmina neque a poeta ipso conjuncta. Quis enim alia a poeta esse confecta existimaret, quam quæ in animo præsentia excitarent tempora? Neque vero hoc non probat ipsorum carminum *ordo*, cum vix credi possit, si ipse in unum librum conjunxisset vates quinque hæc carmina, *quartum tertio postpositum fuisse,* si quidem argumento probari ostendimus, id ad 2dum pertinere non solum ob vocum formularumque similitudinem[1]), sed etiam quia is, qui in secundo nondum ad summum videtur perductus dolor, de iisdem rebus conquerens in 4to vehementior cernitur ac tantum non desperans. Igitur, quod docet argumentum, varia tempora varios protulerunt affectus, non artificiose conjungendos illos quidem, sed ex rei natura sensuque innato profectos.

---

[1]) cfr. Wiedenfeld l. c. pag. 7, qui tamen quædam conjunxit, quæ sunt diversa.

Svadet vero id *threnodicorum carminum indoles*, de qua, nostra carmina illustrandi causa, paucis disputabimus. Quemadmodum apud *Græcos* jam multo ante *Homeri* tempora threnodicorum carminum ex lessu de mortuis ortorum fit mentio[1]), hique antiquissimorum temporum threni cum *deorum cultu* erant conjuncti atque ita ferebantur[2]), ita apud Hebræos, qui populus malis, ut vult de Wette, fere semper fuit obnoxius, inter *antiquissima* carminum genera nominandi sunt *threni*, in populo omnia semper *ad Deum* referente semper cum *religiosis* quibusdam affectibus illi quidem conjuncti. Propriæ his sunt molles illæ et flexanimæ voces flebilesque et pæne in dolore liquescentes cantus, sive lessus sunt de mortuis, cujusmodi Davidis de Jonathane occiso 2 Sam. 1. 18—27 et Abnero interfecto 2 Sam. 3. 33—34 carmina (cfr. Jerem. 22, 28), sive querelæ de miseria vel unius hominis vel totius populi, cujus rei exempla præbent Psalmi 3, 6, 13, 38, 42, 55, 56, 57, 74, 77, 85, 88, 94, 102, 120, 123, 137, 140, 142, 143 multique apud Esaiam Jeremiam Ezech. Amosum aliosque prophetas loci. Neque *Asiaticam originem* denegarunt Græci, qui molles illos flebilesque voces ex *Phænicia et Cypro* ad se pervenisse di-

---

1) Qualia fuerunt ea, quæ *Λίνος* et *θρῆνοι* vocabantur, Iliad. 18, 570; 24, 721; Eusthath. ad Homer. l. c. Gaisford Poet. Gr. min. 1 pg. 174.

2) Plato de legibus 3. pg. 700. Welker de Lino in Zimmermanns Schulzeitung 1830. 11. Nr. 2. Müller Dorier 1. pg. 346. Ulriei Geschichte der hellenischen Dichtkunst. Berlin 1835 11 pg. 171.

sertis verbis docent[1]), cum hoc scribendi genus ad *Asiaticum magis*, quam ad *Græcum* pertinere videretur[2]). Eandem quoque nostris carminibus inesse naturam invenimus, quam optime illustravit *Lowth* (de sacra poesi pg. 294 seq.), cujus hæc sola afferam verba[3]): „Patriæ perditæ et exstinctæ luctuoso carmine quo„dammodo parentans et veluti in exsequiis ejus prose-

---

1) Herod. 2, 79. Athen. Deipnos. XIV. pg. 619. Paus. 9. 29. 3. Ulrici l. c. pg. 172.

2) Hoc quoque viderat *Cicero* in illustri illo loco de clar. orat. cap. 95 „aliud genus (Asiaticæ dictionis) non tam „sententiis frequentatum, quam verbis volucre et inci„tatum, qualis est nunc Asia tota, nec flumine solum „orationis, sed etiam exornato et faceto genere verborum." Optime *Hitzig.* in vitæ Davidis descriptione, quam inseruit *Encycl. Halensi* 1 Sect. Tom. 23. pg. 213: „Im „Orient suchen wir überhaupt *vergebens die compakte „energische Subjectivität des erstarkten Menschengeistes;* „das Innere des Menschen ist dort weit mehr der Natur „offen, als im neuern Occident; die Handlungen fliessen „weit mehr aus *momentanen Eindruck und jedweiliger „Stimmung, denn aus Principien*", quæ ratio cum negligeretur, pravas sæpe protulit interpretationes eorum, qui ad nostras regulas omnia judicarent.

3) cfr. quoque quæ disputavernnt *Herder* in præfatione ad librum Börmelianum, quem supra laudavimus, et *Meyer* Handbuch der Hermeneutik 2. § 182 præcipue § 187. Dictionum elegantias optime et summo studio expositas invenies in libro, qui inscribitur: „Jeremias Klagegesänge übers. *v. Joel Löwe und Aaron Wolfssohn.* Berlin 1790", etsi haud negandum, quædam nimis quæsita et affectata videri.

„quendis lugentis personam gerens, quidquid ejus „animo in tot tantisque miseriis primum obversatur, „quicquid ei præcipit instans dolor, id subito quasi „in re præsenti exprimit at effundit. In iisdem rebus „hæret plerumque et immoratur diutius; eadem novis „vocibus, imaginibus, figuris variat et amplificat etc.“ Quibus verbis hoc solum addam, quod ex repetita lectione animo obversatum est. In luctu gravissimo quasi timet sæpe animus, ut suum dolorem satis gravibus verbis ad aliorum misericordiam movendam exprimat; non leniter, nom imagine semel adhibita exponit quæ vult, sed sensibus sæpius repetitis, sed singulis calamitatum partibus sæpius revocatis, quo penitus eas in audientium inculcet animos: „Es ist ihm“, inquit Wiedenfeld (pg. 4) „nicht um eine flüchtige Skizzirung, nicht um einen „hohlen Abriss seiner Leiden zu thun — er mag nicht „gern aufhören in der Schilderung seines Schmerzens; „deswegen sucht er jedes einzelne Theilchen dessel„ben auf und trägt es nicht selten noch unter wech„selnden Schattirungen vor.... Alles ist dabei gehal„ten von den Zügeln *heiliger Besonnenheit*, und wenn „sich auch im seltenen Augenblicke der Schmerz von „ihnen lossreissen will, so weist ein tieferliegender „frommer Sinn ihn wieder in die Schranken der Mässi„gung zurück.“ Ex hac doloris indole sæpius repetitæ voces in næniis אוֹי לָנוּ ,אוֹי לָנוּ, et apud Græcos *οἴ μοι, οἴ μοι*! Neque tamen hanc flebilium vocum repetitionem ita intelligendam esse volo, quasi nulla ordinis habita esset ratio, quod tantum abesset, ut hominibus misericordiam pareret, ut potius audientibus tædinm efficeret. Ostendunt hoc argumenta ipsa, quæ § 10 exposuimus.

Antequam ad sequentia transeamus, id modo quærendum esse videtur, quod Herderus putavit, assentientibus aliis, „*Choris, ut ediscerentur et canerentur, ea destinata fuisse carmina*“, idque maxime ex *Alphabetico* ordine, quo scilicet memoriæ inserviret, collegit. In quo summo viro assentiri non possumus. Qui enim accuratam horum threnorum instituerit lectionem, ea non ad usum publicum, sed ad animum mærore levandum vel, ut Joel Löwe dixit (pg. V): „zur erleichternder trostbringenden Herzensergiessung“ composita esse videbit. Neque eorum, qui miseram devastatæ reipublicæ condicionem animo conceperint, templumque flammis traditum cogitaverint, quisquam tum choros carmina ad normam quandam redacta canentium fuisse sibi persvadebit. Quod vero ad litterarum ordinem carmina ideo a Jeremia composita censuerunt multi, ut facilius ediscerentur, de eo accuratius dicemus, quando disputabimus

§ 13.

de externa horum carminum forma.

Carminum nostrorum quatuor prima ad id genus pertinere apparet, quod *alphabeticum* vocatur i. e. in quo singula commata Hebr. elementorum ordinem sequuntur, itaque in viginti duo versus seu *στροφάς* divisa, sic tamen, ut in prioribus tribus singulum comma sit *τρίκωλον* (exceptis 1. 7. 11. 19, quæ sunt *τετράκωλα*), qui commatum *τρικωλῶν* ordo in carmine tertio ita est expressus, ut singulis litteris ter iteratis eodem ordine servato terni inchoentur versus. Capitum quarti et

quinti, quæ distichi metri sunt (excepto IV. 15), ultimum etsi in viginti duo στροφὰς divisum, litterarum ordinem tamen respuit [1]). Id carminum ad elementorum ordinem componendorum genus *in memoriæ subsidium,* quo faciliusc et discerentur et tenerentur, esse institutum censuerunt *Leusden* (Philol. Hebr. pag. 71), *Lowth* (l. c. pg. 297) ibique *Michaelis, Wolfius* (Biblioth. Hebr. II. pag. 153) et *Aurivillius* (de poesi sacra in dissert. edit. Michaelis. Gott. 1790. pag. 87), alii. Hoc vero vix statuissent Celebr. viri, si diligenter alphabetica s. c. carmina considerassent, Ps. 9—10. 25, 34, 111, 112, 119, 144, Proverb. 31, 10 seq. — quorum paucissima sunt ejusmodi, ut ea ediscenda et ad publicum quendam usum composita fuisse dixerit quisquam. Solam potius levis cujusdam artificii ostentationem in hoc quærere libet, tum ortam, cum jam laberetur vera poeseos vis ejusque minueretur dignitas [2]),

---

1) Cur hoc ita factum sit, haud facile inveniet quisquam, neque ullum *festinantiæ* vestigium, poetam ab operosa litterarum initialium indagatione deterrens, quod quidem in Cap. V. reperisse sibi visus est Bertholdtius (pg. 2320), in eo inesse vides. Si, id quod supra demonstravimus, *longum temporis spatium* inter IV. et V. intercessit, facile accidere potuit, ut, quod sibi ipsi imposuisset in prioribus carminibus condendis vinculum, eo se amplius non adstringi sit passus, quæ probabilis est causa.

2) Ita *Hofmann* in Encycl. Halensi Sect. 2. P. 3. pag. 356: „Eine blosse *Künstelei* der hebräischen Rythmik ist *alphabetische Ordnung der Verse*, welche sich, „*wie alle Spielereien der Art, wahrscheinlich erst dann*

ita ut in exili arte semel inventa placerent sibi ludentium ingenia atque ad ejus normam interdum componerent se majoris dignitatis poetæ. Hoc ita esse, demonstrant ipsorum alphabeticorum, quæ in s. c. nobis sunt relicta, carminum indoles, quæ, si nostros exceperis threnos, fere omnia haud sublimi orationis genere nec admodum poetico ingenio scripta esse videbis. Neque hæc ars aliis litteris incognita fuit; habent enim similiter carmina alphabetica et Samaritani et Syri et Persæ et majores nostri quodammodo [1]), nec postea evanuit jejuna illa ludendi ars [2]); videmus quoque, quomodo sæpe sese torserint poetæ, ut litterarum ordini alligare possent cogitationes sensusqne suos, etsi Hebraica lingva ad talem lusum aptior fuisse nulla (cfr. Mich. l. c.) videatur. Mirum autem videtur, quod in II. III. IV littera ע posposita est lit. פ, cujus ἀνομαλίας causam adhuc illustravit nemo. Hoc aut fortuito aut librariorum vitio, id quod censet *Jahnius* (l. c. pg. 514) præeunte *Kennicottio* (dissert. gener. edit. Bruns. pg. 43 seq.), *ter* ita factum esse, vix sibi persvadebit quisquam; neque satisfacit id quod illustrandi causa attu-

---

„*einstellte*, als der Genius wahrer Dichtkunst bereits „entwichen war, oder sich doch seltener einzufinden „pflegte", cfr. de Wette Comment. z. d. Psalmen pag. 83 - 84.

1) Carmina Samarit. edit. Gesenius pag. 9. Assemanni Biblioth. Orient. III. Tom. 1 pag. 63. Eichhornii Præfat. ad Jones de poesi Asiatic. pg. XXII.

2) cfr. Cicer. de Divin. 2, 54. Origenis Opera (edit. 1.) 1. 8. Aliquot carmina ecclesiastica apud G. Fabricium.

lerunt plerique interpretes, hoc ita factum esse rati, quod verbum ab ע incipiens animo non statim occurrerit vatis; nam, etsi semel hoc potuit accidere, mirum sane est, si ter *in eadem littera hæsisset;* neque *Bertholdtii* placet ratio; is poetæ *oblivione quadam* id factum esse arbitratus (pg. 2321 sq.); „cum enim in secundo carmine errasset poeta in illa littera, errore semel facto „inductum eadem ratione quoque in ceteris eum fuisse „lapsum." Hoc a vero multum abesse videtur. Quis enim, poetam ante oculos habuisse secundum carmen, cum tertium et quartum funderet, existimaret? Repugnat huic omnino carminum apud veteres condendorum ratio, qui non ut nostri calamo et charta instructi, sed sensibus et affectibus abrepti canebant, neque lectorum magis, quam cantus rationem habebant. *Wiedenfeld* (pag. 8 l. c.) *tum* non ita definitum certumque ordinem habuisse litt. פ et ע censet, quin huic illud præponi posset, quare in primo quoque carmine *v.* 16. post v. 17. ponere vult „ita hoc a librario mutatum fuisse". Hæc autem opinio refellitur litterarum Hebraicarum ad *numeros designandos* usu, quem usum tum fuisse consvetum, vix dubitari licet (cfr. Gesen. Lehrg. pg. 24. Movers l. c. pg. 53—65); neque in quarto aut tertio carmine, sensu incolumi, ע et פ mutari possunt[1]). *Pareau* aliqua licentia in alphabeticis carminibus censet

---

[1]) Quantas in nugas abeant vel doctissimi viri, si semper difficultati aliquid respondere volunt, indicat opinio *Grotii*, qua in Chaldæa lingva litr. פ ante ע positam fuisse, *et Jeremiam in primo ut Hebræum, in II. III. IV. ut Chaldæum, urbe expugnata, locutum esse ait!*

usos fuisse poëtas Hebræos; hoc quidem recte; at qui illa licentia in פ littera semper occurrit?

Equidem ut meam, qualiscunque est, sententiam proferam, hujus rei causam ex *παλαιογραφίας* nunc quidem nobis incognita, et fortasse adhuc indaganda ratione quadam quærendam esse censeo, ad quod hoc quoque me impellit, quod etiam in Ps. 25 et 34 aliqua est in lit. פ discrepantia (vix enim fortuito factnm, ut omnis alphab. litt. diversitas in פ existeret), quamquam concedo, neque ea, quæ *Michaelis* de discrimine inter פ et פ (l. c. et O. B. 20, pg. 35) dixit, neque quæ *Hasse* (Eichh. Biblioth. VIII. pg. 42—49) de *Phænicum* littera פ invenisse sibi visus est, ullius esse momenti, cum nuper admodum probavit *Gesenius* (Palæographische Studien über phænizische und punische Schrift. Leipzig 1835, Tab. V) modo *unam formam* apud *veteres* Phænies habuisse litteram פ.

Quod vero mediam eorum carminum mensuram syllabarum *duodecim* esse, et *inde threnodicorum carminum metrum* erui posse opinatus est *Lowth* (pag. 297)[1], id falsum esse cognoscere potest, si quis singulas *σροφὰς* metiri vult, neque nos de metri genere inde a Gomaro usque ad Bellarminum et Saalschützium tot conjecturarum vanitate vexato quidquam quærendum esse putamus. *Hieronymus*: duo prima *Sapphico* metro, tertium *trimetro*, quartum simile secundo et primo, narravit; scilicet, ut suis placeret!

---

[1]) Præivit jam idem statuens Maldonatus Jesuita in Præfat. ad Lament. Jerem. pg. 248. (cfr. Carpzow. Intr. l. c. pg. 187).

§ 14.

De horum carminum autore.

Jeremiam esse autorem omnis fere credidit et antiquitas et recentior ætas, neque ulla quemquam subiit dubitatio, nisi suo clarissimum tempore Philologum, *Herrmannium Hardtium*, qui in singulari programmate, quod lucem aspexit Helmstadiæ 1712, ut cerni licet ex Wolfii Bibl. Hebr. pg. 153, communem hanc de Jeremia, horum carminum autore, removendam et „pro capitum quinque numero quinque fuisse autores, „*Danielem*, *Sadrach*, *Mesach*, *Abednego* et *Jechoniam* „*Regem*, Babylone versantem, est opinatus. Jeremiam „vero, quo minus scriptorem credat, prohiberi se ait „incredibili illa, qua abreptus fuerit, tristitia, ætate „item provectiore et itineribus molestissimis, quæ om-„nino non permiserint, ut Jeremias lamentationem tam „diffusam et litterarum serie concinnatam conscriberet", styli etiam diversitate, quam apertam putat, pro argumento usus.[1]) In quo veri aliquid, quod omnino sperni non debuisset, inesse haud inficiandum est,

---

[1]) Ex verbis Goldwitzeri (l. c. pg. 1): „Es mag die theo-„logische Quartalschrift 1819, Heft 1, pg. 69 dagegen „sagen, was sie will, so wird sie den Jeremia als Ver-„fasser dieser Klaggesänge nie wegdisputiren können," in isto libro autorem fuisse Jeremiam negari video, qua de re nihil amplius dicere possum, cum ipsum librum inspicere non potuerim, neque plura habet Rosenm. pag. 457. not, qui argumenta *a Conzia* prolata modo nominat.

quanquam ingenio suo Hardtium justo plus indulsisse apparet; quis enim quinque istos viros autores nominare audeat, nisi qui conjecturarum levitati nimium tribuat?

Concedo equidem etiam mihi aliquas exortas esse dubitationes, quas, etsi ejusmodi non sunt, ut antiquorum et recentiorum consentientia judicia tollant, quia tamen nescio quid ea *labefactant*, lectorum ingenio ponderandas proponere haud piget 1). *Primum* mirum mihi visum est, ejus vatis, cui Judæi maximum tribuebant, carmina non inter נביאים, sed inter כתובים, Hagiographos, quibus *infimam* dignitatem adscribunt, fuisse relata. Scio equidem post tot conamima, quibus Hagiographorum ordinem et originem explicare studuerunt doctissimi viri, nondum quemquam idoneam hujus rei attulisse causam, neque tamen assentiendum esse statuo judicio Moversiano, qui (l. c. pg. 32); „die getroffene Reihefolge in der letz-„ten Abtheilung", inquit, „ist rein *willkührlich*, und nur „nach späteren rabbinischen Grillen vorgenommen; „auf historische und kritische Geltung kann sie *durch-„aus* keinen Anspruch machen", in quo nimium mihi contendisse videtur. Neque obstat, quod Hagiographorum ordo in codicibus Hispanicis, Germanis et Orientalibus est diversus, neque, quod in nonnullis codicibus Threni cum Jeremia conjuncti esse reperiuntur, neque quod Josephus, qui in noto illo loco 1 contra Apion., de quo jam supra diximus, 22 libros recenset,

---

1) Id de 1. 2. 4. 5 carmine dictum esse volo; nam de *tertii* carminis autore vix quisquam dubitabit.

Jeremiam cum Threnis conjunxisse videtur. Ex Thalmude enim (Baba Bathra fol. 14) locum suum jam tum inter Hagigraphas habuisse Threnos videmus, quamvis et Prophetia et 1 Reg. lib. et Threni Jeremiæ adscriberentur. Pertinet autem noster liber ad quinque מגלות i. e. volumina seu „*libros festivales*“ ut barb. ajunt, quia prælegebantur diebus festis.[1] *Deinde* illa carminum alphabeticorum lusus ab animo Jeremiæ doloribus percito abhorruisse videri possit, nisi ea, quæ hic expressa cernimus, veros animi proderent affectus atque dolores. *Maximum* autem et gravissimum argumentum ab LXX peti posse credo. Ex iis enim, quæ mox sumus demonstraturi (pg. 64 sq.), apparebit diversum fuisse eum qui Jeremiam, ab eo qui Threnos Græce verterit, neque verisimile videri potest, si sub Jeremiæ nomine tum ferrentur hæc carmina antiquissimoque tempore ei essent adjuncta, a diversis autoribus ea fuisse in Græcum sermonem versa. Has tamen dubitationes labefactant horum carminum argumentum, indoles, loquendi genus, dicendique formulæ, quæ omnia, nisi quis ad *Jeremiæ imitandæ curam ab alio* composita

---

1) Hi libri in multis Bibliis Hebraicis cum *Pentateucho* conjuncti inveniuntur, quorum Canticum festo Paschatis, Ruth. festo Pentecostes, *Lamentationes die nono mensis Ab* (Julii), quia statuunt, hoc die templum primum et secundum igne immisso fuisse exstinctum (§ 16), Ecclesiasteu festo Tabernaculorum, Estherem festo Purim prælegi solebant. In ecclesia *Catholica* etiam moris est, ut ultimis *Hebdomadis magnæ* tribus diebus decantentur hæ lamentationes cfr. Goldwitzer. pag. 6. Koch. pg. VIII.

esse dicemus, multum similitudinis cum Jeremiæ vaticiniis habere haud negamus. Qui hoc clarius intelligere vult, eum conferre jubemus Thren. 1. 2 cum Jerem. 30, 14. Thr. 1. 8 cum Jerem. 13, 21, 26; Thren. 1, 16. 2, 18. 3, 48 cum Jerem. 13, 17. 14, 17. 9, 17. Thren. 1, 20. 4, 13 cum Jerem. 14, 17. 18. Thr. 2, 14 cum Jerem. 14, 13. 2, 8. 5, 31. Thren. 2, 20 cum Jerem. 19, 9; Thren. 3, 14 cum Jerem. 20, 7; Thren. 3, 15 cum Jerem. 9, 14; Thren. 3, 47 cum Jerem. 48, 43; Thren. 3, 52 cum Jerem. 16, 16; Thren. 3, 64 cum Jerem. 50, 29; Thr. 4, 21 cum Jerem. 25, 15. 49, 12; Thren. 5, 7 cum Jerem. 31, 29; Thren. 5, 16 cum Jerem. 13, 18 etc. (cfr. de Wette pg. 342, Wiedenf. pag. 2)[1]). Minor vero vis tribuenda est iis, quas attulit *de Wette*, Chaldaicas dicendi formas, cum hæ tempori magis, quam certo cuilibet autori tribuendæ sint.

Quæ omnia si in unum conferantur. facile perspicitur, etsi Jeremiam esse autorem horum carminum non extra omnem sit dubitationem, plura argumenta *pro* autore Jeremia, quam *contra* eum posse afferri.

---

1) Ita facile evanescit illa, quam reperisse sibi visus est Hardtius, styli diversitas. Habet vero noster plura *ἅπαξ λεγόμενα*, ut נִידָה 1. 8. (הֵזִיל ibid.), נִשְׂקַד 1. 14, עוּב 2. 1. שֹׂךְ 2, 6, פּוּגָה 2, 18, טִפֻּחִים 2, 20, שָׂתַם 3, 8, פִּשַּׁח 3, 12. כָּפַשׁ 3, 16, סְחִי 3, 45, מְגִנַּת לֵב 3, 64, תַּאֲלָה ibid. גִּזְרָה 4, 7. צָפַד 4, 8, רַחֲמָנִי 4, 10. ברות 4, 10. טְחוֹן 5, 13.

III.

De threnorum versionibus quibusdam.

§ 15.

De versionibus Græcis Syraque-Hexaplari et Vulgata.

Non in universum h. l. agimus de versionibus Græcis, quarum originem et indolem, si qui cognoscere velint, iis, ut ad tot doctissimorum virorum curas de versione septuagintavirali, Aquilæ, Symmachi, Theodotionis institutas se conferant, svademus. At quia omnium antiquissima est Græca LXX versio, multaque ad Hebraicum textum intelligendum conducit accurata hujus cum illa comparatio, neque singulorum librorum ab iis, qui de ista versione *universe* disputarunt, frequens instituta est disquisitio, haud alienum ab interpretis munere esse putavimus, si, et in quibus Hebraica attigerint, et in quibus aliquid mutaverint, breviter indicaremus, quo facilius indoles hujus versionis appareat. Ad hanc vero comparationem feliciter instituendam multum prosunt et: „*Curæ criticæ et exegeticæ in Threnos Jeremiæ*

autore I. F. Schleusner"[1]), quæ insertæ sunt Repert. Orient. Litt. ab Eichhornio edito Tom. XII. pg. 1—58, et versio *Syro-Hexaplaris*, quæ nuper admodum lucem videt.

Hæc autem edita est in libro, qui inscribitur: „*Co-*„*dex Syriaco-Hexaplaris. Liber Quartus Regum e* „*codice Parisiensi. Iesaias, duodecim prophetæ mi-*„*nores, Proverbia, Iobus, Canticum, Threni, Ecclesia-*„*stes. E codice Mediolanensi edidit et commentariis* „*instruxit H. Middeldorpf. Tom. 1—2. Berolini* „1835. 4"; qui liber cum nondum satis doctis innotuerit, neque ut fert libri natura, a multis cognosci possit, rem lectoribus gratam facere mihi videor, si accuratius eum exponam.

Versionis hujus Syriaco-Hexaplaris primam dedisse notitiam *Andream Masium* in Comment. Jos. Ant. 1573 et in præfat. in græcam Josvæ editionem (Eichh. Rapert. VII. 220. de Wette l. c. pg. 82) *a Paulo, Episcopo Tellensi*, ut volunt, anno 619 confectæ constat; sed codex ejus evanuit, nec postea potuit reperiri; post Masium *Ioannes Baptista Branca*, Ambrosiani Collegii Mediolanensis Doctor *Kennicottio et Brunsio* alium quendam Syriaco-Hexaplarem Codicem Mediolani delitescere ibique C. 313 in folio notari significavit; postea de eo memoravit aliquid *Björnstahl*; deinde *de Rossi* Apographum Psalmi XI. Kennicottio Oxoniam misit, ipseque edidit: „Specimen ineditæ et hexapla-

---

1) Id modo de critico LXX nostri libri usu intellectum volo; nam de comparatione inter Jeremiam et Threnos infra instituenda ille nihil habet.

„ris Bibliorum versionis Syro-Estranghelæ cum sim-
„plici atque utriusque fontibus, græco et hebræo col-
„latæ, cum duplici latina versione ac notis. Parmæ
„1778", iterum ab Eichhornio typis exscriptum. Rep. Tom. III. Summa deinde doctissimorum virorum laude edidit *Norberg* librum, qui inscribitur: „Codex Syriaco-Hexaplaris Ambrosiano-Mediolanensis. Lond. 1787, Jeremiam et Ezechielem continentem; tum *Cajetanus Bugatus* non minore laude *Danielem* 1788. 8, editionemque *Psalmorum* ab eodem paratam, sed ejus morte interceptam, luce donavit post 32 annos *Petrus Cighera*. 1820, qua de editione disseruit *Plüscke* in peculiari scriptione, Bonnæ 1835. Antea jam *Brunsius* 4tum Reg. librum e codiee *Parisiensi* descripsit in Repert. Eichh. Tom. 8, 9. 10; particulamque edidit *Hasse* Jenæ 1782. *Middeldorpfio* vero contigit, ut Eichhornii et Norbergii liberalitate et Parisiensis et Mediolanensis codicis apographa possideret, atque adeo duo 4to libri Reg. exemplaria; apographum Esaiæ, 12 prophetarum etc. Norbergii ipsius manu Mediolani est exarstum.

Magnus sane versionis syriaco-hexaplaris est usus in textus græci historia, maxime quatenus ad criticam artem pertinet; itaque summo studio operaque, quæ haud satis idoneis verbis laudari possit, in hac editione ornanda elaboravit Middeldorpf, cum difficile esset ex unius apographi fide elegantem parare editionem, molestiaque augeretur eo, quod utrumque libri 4. Reg. apographum non Syriacis, sed Hebraicis litteris erat exaratum, ita, ut Syriace esset transscribendum. Ordinem servavit, qualis in textus hebraicis vulgatis edi-

tionibus esse solet, etsi *Norbergius* (Præf. ad Jerem. et Ezech. pg. 8) in codice Mediolanensi aliam seriem obtineri refert: Psalmi, Jobus, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum (Sapientia Salomonis, Siracides), XII. Prophetæ minores, Jeremias (Baruchus), Threni (Epistola Jeremiæ), Daniel (historia Susannæ, Belis et Draconis), Ezechiel et Jesaias. In notis cum reliquorum interpretum Græcorum fragmenta, Aquilæ, Symmachi et Theodotionis, in nonnullis libris etiam editionis quintæ et sextæ, tum codicis Hebraici lectiones, tum denique scholia quædam afferuntur. In commentariis, qui in secundo egregii hujus operis volumine exstant, omnia, in quibus Syrus a textu Græco, qualem eum exhibet Lamb. Bos in editione Franekeræ 1709, decederet, accuratissime enotavit, ut vulgatus versionis LXX textus, qui circumferri soleat, clarius appareret, comparatione cum editione Holmesiana instituta; non mediocrem adhibuit diligentiam *in græca versione fragmentorum*, quæ Syrus ex Aquila ceterisque attulit, qui labor sæpe fuit molestissimus (difficultates in Syro græce vertendo occurrentes dilucide ipse exposuit autor Præf. pag. XI); *latine* modo ea reddidit, in quibus omni analogia erat destitutus, ut in ἅπαξ λεγομένοις; etiam illas voces, quæ in lexico Castelliano sunt omissa, diligenter enotavit.

Ex hac enarratione, maximam partem ex ipsius editoris præfatione desumta, nemo est, quin colligat, quanto studio provincia suscepta functus sit Vir Clar., quantumque ad istos libros intelligendos, maxime ad LXX textum critice constituendum attulerit adjumentum. Id vero ad nostros quoque pertinere *threnos*,

apparebit ex iis, quæ infra et in commentario erunt afferenda.

Jam vero de nostra LXX versione *primum* monemus, autorem *alium* fuisse, quam eum, qui Græce transtulit Jeremiam prophetam, quod cerni licet ex exemplis quibusdam jam afferendis [1]). Ita I. 9. טֻמְאָתָהּ בְּשׁוּלֶיהָ *ἀκαθαρσία αὐτῆς πρὸ ποδῶν*, sed Jerem. 13, 22, *τὰ ὀπίςθιά σου;* ita v. 26, (ubi tamen Aq. Sym. ex Hexapl. Syr. *λώματα*, fimbrias) Cod. Vat. *τά ὀπίσω σοῦ*. Thren. I. 11 זוֹלֵלָה *ἠτιμωμένη* Jerem. 15, 19 *ἀναξίου*, si modo lectio est vera. Thren. 1. 12. אֲשֶׁר עוֹלַל לִי *Ὃ ἐγενήθη φθεγξάμενος ἐν ἐμοὶ*, hæc enim verba non cum Schleusnero ad אֲשֶׁר הוֹגָה, sed ad antecedentia referenda puto; mira sane versio, cum semper fere habeant *ἐπιφυλλίζειν* et *ἐπιφυλλίδα ποιεῖν* (cfr. Comment. I. 12), sed Jerem. 6, 9. *καλαμᾶσθε*, 38, 19 *καταμωκάομαι*. Thren. I. 13. דָּוָה *ὀδυνωμένην*, vel, ut habet cod. Alex. *ὀδυρομένην* et Thren. I. 22. לִבִּי דַוָּי *ἡ καρδία λυπεῖται* sed Jerem. 8, 18. *ἀπορουμένης;* ibi Hebraica non intellexisse eum, credit Spohn. Thren. 2, 2, 5. בִּלַּע *κατεπόντισε* (v. 8 מִבַּלֵּעַ *καταπατήματος*, in quo vitium inesse ostendit Syro-Hex., qui haben ܡܢ ܒܠܥܬܐ *ab immersione*, igitur legendum *καταποτήματος* seu *καταποντίσμου*, idque jam vidit Schleusner in curis. v. 16. *καταπίωμεν*) Jerem. 51, 34, 44. *καταπιεῖν*. Thren. 2, 5. אַרְמְנֹת *τὰς βάρεις*

---

1) Secuti sumus librum *Spohnii*, qui inscribitur: „Jeremias vates e versione Judæorum Alex. ac reliquorum interpretum Græcorum emendatus notisque criticis illustratus,“ cujus pars prior prodiit Lipsiæ 1794, altera eodem loco 1824, per filium edita.

(de quo vocabulo ex Hebr. בירה sine dubio derivando vide doctam dissert. in Thes. Steph. edit nov. pg. 128 sq.), sed Jerem. 30, 18. Spohn edidit ὁ λάος, quod pro ὁ νάος esse positum demonstrant Syro-Hexapl. Edit. Complut; 17, 27. ἄμφοδια; ita 49, 27, sed 6, 5. θεμέλια. 8, 21 pro אַרְמְנֹת legerunt אֲדָמָה, quia verterunt εἰς τὴν γῆν. Thren. 2, 6. וַיַּחְמֹס διεπέτασεν, Jerem. 13, 22. παραδειγματίζω; 2, 7. וַיִּנְאַץ παρώξυνεν, Jerem. 14, 21. κόπασον (aliud, nescio quid, legentes; ex lacuna quadam suppletum 33, 24. παρώξυναν), 23, 17. ἀπωθουμένοις. Thren. 2, 8. קָו, μέτρον; sed Jerem. 31, 39. διαμετρήσις; Symm. ut ex Syro-Hexap. cernitur, utroque loco σχοινίον; ibid. אֻמְלָלוּ ἠσθενήσαν Jerem. 14, 2. 15, 9, ἐκενώθησαν. Thren. 2, 9. ἐνεπάγησαν. Symm. ex Syro-Hex. κατεβυσθίσθησαν; sed Jerem. 38, 22. καταλύειν vel, ut edidit Spohn, καταδύειν. Thren. 2, 11. כָּלוּ ἐξέλιπον, omnino aliter Jerem. 20, 18. διατελέω (alia signif. 8, 20. παρέρχομαι), Jerem. 9, 15. 10, 24. 49, 37. ἐξαναλίσκω. Thren. 2, 14. וְתָפֵל ἀφροσύνην, sed Jerem. 23, 13. ἀνομήματα. Thren. 2, 15. סָפְקוּ ἐκρότησαν, Jerem. 31, 19. ἐςέναξα (aperto vitio, vide Spohnium), 48, 26. ἐπικρούσει. Thren. 2, 19. רֹנִּי ἀγαλλίασαι (Ald. et Compl. ἀδολεςχῆσαι, quod alius interpretis esse videtur; ex Syr. Hexapl. Aquila αἴνει. Symmach. magnifica loquere eruit Middeld.), sed Jerem. 31, 7, 12. εὐφρανθῆτι. Thren. 2, 21. טָבַח μαγειρός et μαγειρεύειν, sed Jerem. 11, 19. τοῦ θύεσθαι, aliis in locis et proprie et figurate dictum: εἰς σφαγήν, ut 25, 34. 51, 40. 48. 15. 50, 27. 12, 3. Thren. 3, 1. עֳנִי πτωχείαν, sed Jerem. 22, 16. ταπεινώσις, ut ex Syr.-Hexapl. nostro loco Symmach. Thren. 3, 15. לַעֲנָה χολή (v. 19. πικρία), sed Je-

rem. 9, 15. *ἀνάγκας*, 30, 15. *ὀδύνας*. Thren. 3, 34. לְדַכֵּא *τοῦ ταπεινῶσαι*, sed Jerem. 44, 10. *ἐπαύσαντο*. Thren. 3, 47. פַּחַד וָפַחַת *φόβος καὶ θύμος* (Cod. Norimb. pro *θύμος* habet *θάμβος*), sed Jerem. 48, 43. *φόβος καὶ παγίς* (nisi quod addunt *καὶ βοθυνός*); Thren. 3, 53. יַדּוּ *ἐπέθηκαν*, sed Jerem. 50, 14. legerunt יְרוּ; verterunt enim: *τοξεύσατε*. Thren. 4, 3. לְאַכְזָר *εἰς ἀνίατον* quod h. l. *immanis crudelis* notionem habere censet Schleusner, sed nota ad vers. Syro-Hex. *ἀνελεήμονες*; at 6, 21. *ἰτάμός*, ita 50, 45. et 30, 14. *στερεᾷ* 4. 6. חָלוּ *οὐκ ἐπόνεσαν* sed Jerem. 23, 19. 30, 23. *ἥξει*. 4. 14. עִוְרִים *ἐγρήγοροι*; eos עִירִים legisse apparet (Symm. ex Hexapl. *τυφλοί*), verbum recte vertit Jerem. 52, 11. 4. 15. נָצוּ *ἀνήφθησαν* (nisi forte legendum *ἀνήπτησαν*); sed ad *avolandi* notionem refert Gesenius quoque נצא quod Jerem. 48, 9. *ἀφῇ* vertitur. Syr. Hex. not. explicat h. l. *παρώξυναν*. 4. 18. צָדוּ צְעָדֵינוּ *ἐθηρεύσαμεν μικροὺς ἡμῶν*, legerunt sine dubio צָדְנוּ צְעִירֵינוּ (Aquila ex Hex. *ἐρημώθησαν τὰ διαβήματα ἡμῶν ἀπὸ τῆς πορείας*), quia Jerem. 10, 23. verterunt *τὴν πορείαν*. 5. 20. תִּתְעָרִי *ἀποχέεις*, at Jerem. 51, 58. *κατασκαπτόμενον κατασκαφήσεται*. 5. 4. בִּמְחִיר *ἐν ἀλλάγματι* (Syr. Hexapl. ܒܛܝܡܐ i. e. *ἐν τιμῇ*); Jerem. 15, 13. *ἀντάλλαγμα*.

Ex his igitur ita inter se comparatis cuilibet clarum est, id quod jam supra diximus, a diversis autoribus Græce versos esse Jeremiam et Threnos. Hoc *deinde* probat nostræ versionis *indoles*, de qua pauca monemus. *Hebraice bene calluisse* nostrum interpretem demonstrant non solum pauci ejus errores, sed hoc quoque, quod in *ἅπαξ λεγομένοις* raro in vero sensu eruendo falsus est. Neque tamen non multi sunt loci,

in quibus Græcus Hebræo non respondeat; sed illa diversitas magis e lectionum varietate, quam ex ulla Hebraici sermonis ignorantia (at ex audacia fortasse interdum) orta esse videtur. Maximam in 3tio carmine discrepantiam esse intelliget, qui accuratum instituerit comparationem, eaque diversitas tanta est, ut haud scio an *alium* prodat interpretem. Exempla ad ipsum commentarium, in quo et Hebraici textus verba et nostram interpretationem sumus illustraturi, afferre placet; nam h. l. ab interpretatione discerpta vim suam amitterent.

De ceteris Græcis Threnorum versionibus Origenes: *Ἔκδοσις Ἀκύλα,* inquit, *καὶ Θεοδοτίωνος ἐν τοῖς θρηνοῖς οὐ φέρεται, μόνον δὲ Συμμάχου καὶ τῶν Ο*; quæ verba recte explicant *Montfalconius* in Hexapl. II. pg. 263 et *Barth.* Hexapl. P. II. pag. 554, ita, ut sensus non sit, Aquilam et Theodotionem Threnos Græce non vertisse, sed modo editionem eorum non ferri i. e. Aquilæ et Theodotionis versiones non in Hexapl. solidis columnis ab Origene esse insertas, etsi aliquid eorum interpretationis afferret. At cum hujus rei causam eam esse dicant Montfalc. et Barth., ideoque prætermissas esse istas versiones ab Origene censeant, *quod parum vel nihil differrent a versione LXX*, nunc, in lucem edita Syriaco-Hexaplari cum notis aliorum maxime Aquilæ, quæ tantas habent diversitates a LXX, interpretationes continentibus, non recte conjecisse istos, quos laudavimus, viros apparet.

Quod vero ad *vulgatam* horum carminum *versionem* attinet, instituta et cum textu Hebr. et cum Græco LXX comparatione, id mihi reperisse videor, eam arctius cum Hebræo, quam cum Græco esse conjunctam,

et sæpe ab hoc discedere. Aliquot proferre exempla sufficiat. Ita I. 3. עֲבֹדָה LXX δουλεία αὐτῆς, sed Vulg. *servitutis*, omisso pronomine; ibid. בֵּין הַמְּצָרִים LXX ἀναμέσον τῶν θλιβόντων, Vulg. rectius: *inter angustias*; I. 12. עוֹלַל לִי *vindemiavit me* (vide supra allata p. 64) I. 14. נְתָנַנִי וגו׳, *Dedit me in manu, de qua non potero surgere*. 2, 6. מֹעֲדוֹ LXX ἑορτήν, Vulg. *tabernaculum suum*; 2. 7. הִסְגִּיר בְּיַד LXX συνέτριψεν ἐν χειρί, Vulg. *tradidit in manu*; 2, 10. הוֹרִידוּ לָאָרֶץ רֹאשָׁן LXX κατήγαγον εἰς γῆν ἀρχηγούς Vulg. *Abjecerunt in terram capita*; 2, 11. מֵעַי LXX ἡ καρδία, Vulg. *viscera mea*; ibid. כְּבֵדִי LXX ἡ δόξα μου (legerunt כְּבוֹדִי), Vulg. *jecur meum*; 2, 13. מָה אֲשַׁוֶּה τίς σώσει (alia plane lectione), Vulg. *cui exæquabo te*; 2, 22. recte Vulg. *quos educavi et enutrivi, immicus meus consumsit eos*. 3, 3. יָשֻׁב יַהֲפֹךְ LXX ἐπέστρεψε, Vulg. *vertit et convertit*; 3, 5. וּתְלָאָה LXX. ἐμόχθησεν, Vulg. *labore*; 3, 11. פִּשְּׁחַ LXX κατέπαυσέ με. Vulg. *confregit me*; 3, 33. עִנָּה ἀπεκρίθη, Vulg. *humiliavit*; 3, 36. לֹא רָאָה οὐκ εἶπε, Vulg. *ignoravit*; 3, 40. נַחְפְּשָׂה ἐξερευνήθη, Vulg. *scrutemur*; 3, 44. מֵעֲבוֹר LXX leg. בַּעֲבוּר, verterunt enim: ἕνεκεν προσευχῆς, atque ita Syr. Hex. Vulg. rectius: *ne transeat oratio*, Symm. assentiente; 3, 45. סְחִי וּמָאוֹס LXX verba, Vulg. substantiva posuit: *eradicationem et abjectionem*; 3, 63. הַבִּיטָה אֲנִי מַנְגִּינָתָם, LXX ἐπίβλεψον ἐπ' ὀφθαλμοὺς αὐτῶν (aliud plane legentes), Vulg. *vide, ego sum Psalmus eorum*; 4, 14. עִוְרִים (vide supra p. 66). Vulg. *cæci*; 4, 16. חִלְּקָם LXX μερὶς αὐτῶν, Vulg. *divisit eos*. 4, 19. דְּלָקֻנוּ LXX ἐξέπτησαν, Vulg. *persecuti sunt nos*; 5, 6. מִצְרַיִם נָתַנּוּ יָד LXX Αἴγυπτος ἔδωκε χεῖρα, Vulg. *Ægypto dedimus manum*; 5, 15. Vulg. recte: *defecit*

gaudium cordis nostri; 5, 20. לָנֶצַח LXX *εἰς νῖκος*, Vulg. *in perpetuum*.

Hæc vero exempla ad id, quod professi sumus, probandum sufficient, neque tamen non sunt quidam loci, in quibus aut cum LXX erraverit, aut aliam secutus sit lectionem, quod quidem cernetur ex iis, quæ in commentario afferemus.

§ 16.

De Chaldaica Threnorum paraphrasi.

Targum seu Chaldaica Paraphrasis in quinque Megilloth[1]), ad quam quoque nostra pertinet in Threnos, adeo obscuræ est originis, ut nec Judæi nec Christiani de ejus origine certi quidquam proferre potuerint; ad *deterrimas* s. c. interpretationes eam pertinere paraphrasin jam pridem viderunt docti viri, quippe quæ fabulis Judaicis multisque nugis est referta nec raro a sensu omnino aberrans. *Post* Talmudem esse confectum, intelligitur et ex dialecti Hierosolymitanæ impuritate, et ex citatis Mischnæ Talmudisque nominibus (Cant. I, 2. 5, 10. Thren. 2, 19), fabulisque Talmudicis. Antiquorum sententiæ autorem faciunt *R. Iosephum Luscum*, qui vixit ann. 350 p. C. (ita statuente *Iostio*: Geschichte der Israeliten 4 Th. Berlin 1824 pg. 315 sq., ubi Josephi istius de sacra scriptura meritorum fit mentio); id etsi demonstrari nequit, cum

---

1) cfr. Carpzow. Crit. Sacr. Lips. 1728 pg. 450 s. et pg. 470. Briani Walthoni Biblicus Apparatus Tiguri 1673 pg. 385 sq. Wolfii Bibl. Hebr. 2, 1171 sq. Buxtorf. Lexic. Chald. Syr. Præfat.

verisimilus sit, a *diversis* autoribus profectas esse illas paraphrases, tamen admodum probabilis est sententia Wolfii (l. c. pg. 1175), *Iosephum illum Luscum Chaldaice discipulis suis illos libros esse interpretatum* opinantis, has interpretationes postea ab ipsis discipulis *litteris consignatas* esse, quæ deinde[1]) aliorum studio locupletatæ in hunc habitum excreverint, in quo nunc conspiciuntur. Ita facillime intelliguntur sermonis diversitates.

Nostrum vero in Threnos Targum, etsi non tantis nugis et ineptiis scatet, quantis Cantici paraphrasis, multa tamen habet ex interpretis ingenio conficta multaque fabulis referta interpretationum loco exhibet. Quod judicium sententiamque alio loco a me dictam (de Cant. Deb. pg. IX) ut confirmare, lectoribusque indolem hujus paraphraseos exponere possim, quia de ea re ab alio singillatim quæsitum esse non legi, exempla quædam ex Targ. in Threnos desumta proferre haud pigebit. Ita I. 1. de *Adami et Evæ* loquitur peccato, I. 2. legatis in terram Cananit. *a Mose* missis et *nocte noni diei mensis Ab reversis*, cum populus flevisset, ira Dei exardescente *constitutum esse, ut illa nocte domus sanctuarii combureretur*. I. 18. כִּי־פִיהוּ מָרִיתִי verba *Iosiæ* esse explicat, qui Dei eum a bello cum Ægyptiis suscipiendo deterrentis verbo (§ 2) non obediret, etsi alias factum per Nebucadn. excidium defleri ait Paraphrastes. I. 19. *Romanorum*, *Titi* et *Vespasiani* mentio fit. 2,

---

1) Plura esse loca additamentis ab alia manu insertis in Chald. Targ. corrupta videbit, qui uno tenore eum legit; hæc autem indoles sententiam nostram defendit.

9. portas in terram demersas *ob porcum ibi mactatum et ex sangvine aliquid oblatum* fabulatur; 2, 19. ad studium *Mischnæ* adhortatur; 2, 20. *Sachariam* memorat, *filium Iddo,* in sanctuario *expiationis die* (בְּיוֹמָא דְכִפּוּרַיָּא) *interfectum*; 2, 22. de liberatione per *Messiam* facienda loquitur. 3, 38. *Bath Kol* filiam vocis (בְּרַת קָלָא)[1]) nominat; 4. 17. fiduciam *in Romanos* frustra collocatam deplorat; 4, 20. מְשִׁיחַ יְהוָֹה de *Iosia*, qui fuit carus nobis, veluti spiritus animi, interpretatur; 4, 22, liberationem pronunciat per *Messiam et Eliam* exspectandam, quo tempore *Persis* pænas dabunt *Idumæi* i. e. *Romani*, ut expressis verbis legitur in nonnullis codicibus (cfr. Buxt. Lex. Talm. pg. 2328); 5 3. *legis libros discissos esse atque ex iis saccos factos, quos lapillis completos collis captivorum imposuerint hostes*, nugatur; 5, 8. verba: עֲבָדִים מָשְׁלוּ בָנוּ de *filiis Cham*, *qui subjecti sunt Semitis*, interpretatur. Ad מִשַּׁעַר 5, 14. addidit סַנְהֶדְרִין. In singulorum verborum interpretatione non admodum hæsit, quia non fidi interpretis, sed paraphrastæ, ut voluit, functus est persona, in quo hoc quoque memorabile est, quod *tertium* carmen omnium fidelissime Chaldaice transtulit.

§ 17.

De horum carminum interpretibus.

Interpretes celeberrimos, quia jam antea in his prolegomenis eorum (§ 11 et sæpius) mentio est facta, repetere

---

1) De בַּת קוֹל vide Hottingeri Thes. Phil. pag. 509. Buxtorphii Lexic. Talm. pag. 320 sq. Lighfoot Horas Hebr.

h. l. eo minus voluimus, quia facile eorum pluriumque nomina in litterariis subsidiis reperire potest, cui hæc curæ sunt. Quod de *critica textus Hebraici indole* et *variis lectionibus* dicendum est, id in commentario, ad quem jam nos collaturi sumus, memorabimus.

---

ad Math. VIII. 17. et Lübkert „Etwas über בת קול in: „Theologische Studien und Kritiken 1835 pg. 634—647."

Lamentationes.

Lamentationum

Cap. 1.

1\. *Quomodo sedet solitaria urbs, frequens* (quondam) *incolis; vidua facta est domina gentium; princeps provinciarum facta est vectigalis.*

Ita cum omnibus versionibus, accentibus relictis, כְּאַלְמָנָה וגו׳ cum sequentibus רַבָּתִי conjunximus, ut *τρικωλῶν* commatum longitudo par sit. אֵיכָה vox est admirantis et dolentis 2, 1. 4, 1. 2; Es. 1, 21. 14, 4; Jerem. 48, 17, maxime mortem alicujus et interitum lugentis, ut 2 Sam. 1. 19 אֵיךְ נָפְלוּ גִבּוֹרִים *eheu ceciderunt heroes* cfr. v. 27. Ezech. 26, 17 *canent de te nenias et dicent de te:* אֵיךְ אָבַדְתְּ נוֹשֶׁבֶת מִיַּמִּים cfr. Eccl. 2, 16. Jerem. 9, 18. Itaque hæc vox neniis *propria fuisse* videtur (cfr. de Wette Einl. pag. 341: das characteristische אֵיכָה). Neque prætereundum est, id quod recte monuerunt *Melanchton* (Opp. 2, 412 sq.)

et *Calvinus* (Op. IV. 594), Hierosolymæ excidium ideo miserabilius visum esse aliarum urbium interitu, quia ibi esset sedes doctrinæ et forma ecclesiæ conspectior; graviores ideo tentationes mentes subire potuisse, quomodo implerentur promissiones divinæ. Comparatur autem urbs sæpissime apud Hebræos poetas cum *muliere*, cujus *maritus* est rex, incolæ *filiæ filiique*, quo de loquendi genere accurate, ut solet, disputavit *Gesenius* (ad Es. 1. 8 pg. 154), Syrisque idem fuisse usitatum docet. Neque Græcis Romanisque poetis insolita erat hæc dicendi formula. יָשַׁב de lugentibus usurpatur, qui in solo mærentes sedent, Ezech. 26, 16. Hiob 2, 8, præcipue de urbe, quæ est desolata Es. 3, 25[1]. בָּדָד adverbialiter dictum ut Es. 27, 10 (Jerem. 49, 31). רַבָּתִי pro רַבָּה; aliquid elegantiæ habere ִי additum, probavit *Schröder* (Instit. ad fund. ling. Hebr. Ulm 1785 pag. 204, 213 cfr. *Ewaldii* Gram. edit. 1835 § 406); רַבָּה maxime de magnis usurpatur urbibus, unde in metropoleos significationem transiit, ut Rabbat-Ammon, Rabbat-Moab, Hemath Rabbat indicant; *frequentem* autem *populo* recte vocat Hierosolymam, in quo incolarum amplius centum millia fuisse constat, diebusque festis, quibus ex omnibus Palæstinæ regionibus in urbem confluerent, majorem etiam multitudinem (teste Josepho, bello Jud. VI. 6. virilis sexus 2,700,000 Paschate). הָיְתָה כְּאַלְמָנָה *facta est vidua*,

---

1) Nummus adhuc exstat Vespasiano imper. cusus, in quo Judæa repræsentatur sub imagine mulieris, quæ sub palma sedet mæsta; cfr. *Goree* historische Erdbeschreib. pg. 692.

rege suo destituta (§ 7 et § 11); eandem imaginem invenies Es. 47, 8, 9. Apoc. 18, 7; viduitatem tanquam tristissimam describebant condicionem, quam ob rem hominum curæ sæpissime tradebantur viduæ a divino legislatore Exod. 22, 22 seq.; Deut. 10, 18. 14, 29. שָׂרָתִי בַּמְּדִינוֹת cum Vulg. reddidimus: *princeps provinciarum;* intelliguntur sine dubio Ammonitæ, Edomitæ, Moabitæ vicinæque gentes (2 Sam. 8. cfr. 10). מְדִינָה, vox, ut videtur, recentioris Hebraismi, non nisi apud Esther. Dan. Nehem. Esr., semel in Eccles. semel apud Ezech. quater in libr. Reg. occurrit. הָיְתָה לָמַס, De מַס nuper disseruit *Studer* (das Buch der Richter. Bern 1835 pag. 48—50), qui consvetam *tributi* notionem plane rejiciendam et semper *servientis operam* (Frohndienst) hoc verbo indicari censet, maxime ob 1 Reg. 5, 27. 9, 15, quibus in locis tributi notionem admitti posse negat. Atqui, ut bene jam monuerunt *Cleric.* ad Reg. l. c. et *Rosenm.* ad Exod, 1. 10 tributum vocatur non solum pecunia quæ est solvenda, sed hominum quoque multitudo, quæ pecuniæ loco operam præstare cogitur. De hujus verbi ἐτύμῳ in varias partes abeunt doctiss. viri. *Studer* cum antiq. ex מָסַס (ita enim scribendum pro מסס) *liquescere*, deinde *viribus* deficere, deducendam esse hanc vocem censuit; inde significare מַס virium contritionem, et metonymice, ut ajunt, *contritum, subjectum;* quod quam sit spinosum, nemini non apparet. Atque facilius est, quod habet in Lex. *Gesenius*, contractam esse vocem מַס ex מֶכֶס tributum (idque in nov. edit. 1834 exemplis e Lat. Græc. Ital. desumtis illustravit), nisi forte rectissime vidit *Böttcher* (Proben alttest. Schrifterkl. Leipz. 1833

pg. 119), qui מַס ex עָמַס, *opus imponere*, derivandum esse censuit (ad similitudinem בַּל pro בַּעַל, בִּי pro בְּעִי); nam quod *Michaelis* ex Golio eruit (Suppl. No. 1430), Arab. مشش significare: *cepit rem opesque paulatim*, id ad vocem nostram ut pertineat, vereor. — Ceterum utrum Ægyptiorum an Chaldæorum imperio subjectam defleat urbem, de eo disputatum est Proleg. § 11.

2. *Vehementer nocte plorat, lacrimæ super genas* (effunduntur); *non est, qui eam consoletur, ex omnibus ejus amicis; perfide in eam egerunt omnes socii ejus, inimici facti sunt.*

בַּלַּיְלָה majoris luctus et calamitatis imago. Mich. 3, 6. Hiob. 35, 10. Es. 21, 11. Recte Jarchides (qui varias easque ineptas quoque affert interpretationes) שכל הבוכה בלילה השמע קולו בוכה עמו. *Ex omnibus amicis* de exteris, quibuscum amicitia et fædere erant juncti Judæi, dictum est. Eorum enim Idumæi Ammonitæ et Moabitæ, qui contra communem hostem fædus cum Sedecia inierant, de calamitate Jud. inflicta (Jerem. 48, 27. 49, 1. Ps. 137. 7. Obad. v. 11. Ezech. 25, 3.) gavisi sunt, Chaldæis etiam conjuncti (2 Reg. 24, 2 cfr. § 4); Ægyptii vero, etsi non dubiam præstiterunt fidem, viribus tamen ad auxilium ferendum non valebant (§ 7); Sidonii, fædere quoque consociati, primi de excidio Hieros. exsultabant (Ezech. 26, 3). בָּגְדוּ LXX ἠθέτεσαν; Vulgat. spreverunt, male.

3. *Denudata* (incolis) *est Juda propter calamitatem servitutisque multitudinem, sedet inter gentes, neque requiem invenit; quotquot*

persequuntur, eam inter angustias apprehendunt.

Dedimus quam rectam esse putamus hujus commatis versionem, neque audiendus est *Michaelis*, qui ex verbis גָּלְתָה יה' collegit non de Sedeciæ, sed de Josiæ clade esse sermonem, quia non de hominibus in captivitatem abstractis, sed sponte in exsilium migrantibus loquatur poeta. At *primum* גלה non de iis solum, qui *sponte* abeunt in exsilium, usurpatur, sed de captivis quoque (cfr. Gesen. Thes. pag. 284); deinde concedi potest, id quod *Calvinio* et *Rosenm.* etiam placuisse video, h. l. significari eos, qui præ hostium timore in alias essent dispersi terras, neque tamen ex ea re quidquam pro illa, quam laudavimus, sententia sequitur. Scimus enim ex Jerem. 40, 1 multos Judæos tum latuisse inter Ammonitas, Moab. Edom. aliasque gentes, qui, Gedalia terram tenente, sunt reversi (§9). Verum enim vero orationis nexu considerato ne id quidem admittendum esse videtur; nam, cum sequatur יָשְׁבָה בַגּוֹיִם et מָצְאָה לֹא מָנוֹחַ, apertum est, non de voluntario sed de necessario exsilio h. l. conqueri vatem. *Horrer* et *Ioel Löwe* eos intelligi volunt, qui, fuga salutem quærentes, in *ipsis viis* caperentur: „Durch „Elend und Trübsal von ihrer Heimat verscheucht, will „unter Barbaren Juda weilen, findet doch keinen Ruhe-„ort"; *Börmel* יָשַׁב pro גּוּר positum esse docet: „sie „wandelt hin zu fremden Völkern"; difficultates eos vidisse, ubi nullæ sunt, planum est. בֵּין הַמְּצָרִים Vulg. *inter angustias*, LXX ἀναμέσον τῶν θλιβόντων; prius rectius cfr. Ps. 116, 3. 118, 5; neque opus est conjec-

tura *Riegleri* (pg. 83) pro מְצָרִים scribendum esse מְצָרִים opinantis; quis בֵּין מְצָרִים dixerit? כָּל־רֹדְפֶיהָ Imaginem seu a latronibus seu a venatoribus, qui prædam suam in angustias compulsam assequuntur et apprehendunt, petitam esse apparet. (Maur. Rosenm. cfr. Mich. Suppl. No. 1445).

4. *Viæ Sionis lugent, quia non sunt, qui ad festos veniant dies; omnes ejus portæ desolatæ sunt, sacerdotes ejus gemunt, virgines ejus squalidæ, ipsi omnia acerba.*

Venustissima luctus imago, qui tantus est, ut calamitatem quoque sentiat inanimata rerum natura cfr. Joel 1, 10 (ibiq. Credner pg. 121) et Es. 24, 4. 7 (cfr. quoque Gesen. ad Es. 14. 8 pg. 475. Glassii Phil. sacr. edit. Dathe pg. 1016). מִבְּלִי בָּאֵי מוֹעֵד *quia nemo festis diebus advenit*, quod ad summam quoque pertinebat tristitiam. Nihil enim magnificentius, nihil celebratius erat, quam immensa populi festis diebus Hieros. confluentis frequentia[1]); cfr. Deut. 16, 16. Ps. 42, 5. 122, 4. Es. 30, 29; eo major erat tristitia, cum desiissent dies festi. Aben Esra מועד h. l. explicat מקדש, *locum conventus*, בעבור היות כל ישראל נועדים שם; ita Börmel cfr. 2, 6. Ceterum participium h. l. ut subst. construitur; similia videbis Gen. 9, 10 יֹצְאֵי הַתֵּבָה, Ps. 88, 6. שֹׁכְבֵי קֶבֶר. *Omnes portæ ejus desolatæ*; de portis, apud Orient. frequentissimis locis, disputavimus ad

1) cfr. de festis *Ewald.* in Ephemerid. Gotting. 1835 pg. 204 sq. et „Die älteren jüdischen Feste.... dargestellt von George. Berlin 1835. 8."

Cant. Deb. pg. 21. שׁוֹמֵמִין *Börmel* h. l. non *devastatæ* significare posse credit, quia in oratione translata propria dicendi formula non admittenda esse videatur; igitur *obstupescendi* notionem h. l. inesse vult, cujus sententiæ exempla affert 1. Reg. 9, 8. (Possent afferri Jerem. 18, 16. Es. 52, 14 et quæ disputavit *Schultens* ad Prov. 30, 28 edit. Vogel pag. 311). Neque tamen hoc necessarium est in sermone affectus pleno, imagines non ad artis cujusdam normam describente. LXX ἠφανισμέναι Syr. Hex. ܡܫܝܢ, quod *Mich.* (ad Castel. pag. 621) de *aquis inundantibus* usurpari arbitratur; cfr. Jerem. 2, 15. Symm. *desolatæ*, explicante Middel. בְּתוּלֹתֶיהָ נוּגוֹת *virgines ejus squalidæ*, contristatæ; virgines plerique h. l. incolas intelligunt, sed quia in iis quæ antecedunt, conqueri vidimus vatem, quod *dies festi* desinerent *sacerdotesque* ingemiscerent, sine dubio proprie hoc dictum de virginibus choreas festas ducentibus cfr. Jud. 21, 19. Ps. 68, 25. Thr. 5, 15. Amat vero noster verbum יגה cfr. v. 5. 12. 3, 32. 33; simili ratione Zeph. 3, 18 נוּגֵי מִמּוֹעֵד [1]). Nostro loco LXX ἀγόμεναι — abductæ in captivitatem, unde *Capellus* (Critic. sacr. edit. Scharfenb. pag. 647) eos נְהוּגוֹת ex נהג legisse censet, nisi potius pro ἀγόμεναι legendum ἀχθόμεναι (Schleusn. cur. l. c). At Syr. Hex. quoque: *abstractæ*, Aquila vero καταδιωκόμεναι. Symm. αἰχμαλῶται. וְהִיא מַר־לָהּ, *Börmel:* „Sie

---

1) Sine idonea causa lectionem textus Zeph. tentavit *Dathe* (prophetæ min. pg. 215); sensus enim planus est: „tristes ob *solennitatem festorum*" i: e quia ad festos dies venire non queant.

ist ganz Schmerz." *Melius* Joel Löwe: „Ach bitter „ist ihr Loos", atque egregie: „der Dichter fühlts, inquit, „dass nach dem Vorhergegangenen jeder Aus„druck von Schmerz, den er diesen beilegen möchte, „viel zu schwach sein würde, bricht ab, und versteckt „diesen Mangel dadurch, dass er in den folgenden „מר לה gleichsam alle gedachten und nicht gedachten „Situationen concentrirt" (cfr. Wiedenf. pg. 47). היא absol. dictum, ut Hiob 36, 26 (Ges. Lehrg. pg. 723).

5. *Superiores facti sunt hostes ejus, adversarii ejus pace fruuntur, Jehova enim affligit* (eam) *ob peccatorum multitudinem, parvuli ejus ducti sunt in captivitatem coram* (i. e. a) *vexante.*

הָיוּ צָרֶיהָ לְרֹאשׁ, ut Moses prædixerat: הוּא יִהְיֶה לְרֹאשׁ וְאַתָּה תִּהְיֶה לְזָנָב Deut. 28, 43. Caput enim in omnibus fere linguis superiorem significat. LXX *εἰς κεφαλήν*. Symm. *εἰς ἄρχοντας*. הוֹגָה cum Vulg. reddiderit: *locutus est*, eum ex הגה arab. dicere hoc deduxisse credunt Capell. et Schleusn., fortasse aliquid male scriptum ob id quod antecessit: locupletati sunt. שָׁלוּ *tranquilli sunt*, ita Jerem. 12. 1 שָׁלוּ כָּל־בֹּגְדֵי בָגֶד. — עוֹלָל esse puerum constat, quanquam profiteor, nunquam mihi placuisse derivationem Gesenii ex עלל, „der Muthwillige, der Knabe"; potius ad עול *lactare* referendum puto [1]). Ceterum incolas devictos ab alio ad alium

---

1) In novissima Lex. editione hæc ita esse concedere videtur Vir summus. Docte de radice עלל disputavit *Alb. Schultens in Origg. Hebr.* edit. alt. Lugd. Bat. 1761 pg. 67 sq. et 497 sq., qua de re mox plura dicemus ad vers. 12.

locum abduci ab Asiaticis victoribus solere perquam notum est (Heerens Ideen 1. 1. 405 cfr. Mich. mos. R. § 64).

6. ***Evanuit ex Sionis filia omnis splendor ejus, principes ejus facti sunt cervi (?) pascuum non invenientes, viribus destituti ante subsequentis faciem abeunt.***

יָצָא de excidio (cfr. Germ. ausgehn, nostrum: gaae ud); ita de *Tyri* excidio Ezech. 26, 18. נִבְהֲלוּ הָאִיִּים מִצֵּאתֵךְ; recte igitur LXX ἐξήρθη, quod sine idonea causa Schleusner (in Cur. et in spicileg. lex. in interpr. Græc. Lips. 1784. pag. 46) *glossema* esse duxit, legendumque cum Complut. Alex. ἐξῆλθεν. In voce כְּאַיָּלִים dubius hæreo. *Primum* monendum est, errasse sine dubio eos, qui אַיָּלִים, ut Wiedenfeld, *dorcadem* (Gazelle) quoque significare putarunt, cum *cervos* potius denotet (cfr. Winer l. c. pag. 582), de quorum in sacra scriptura denominatione et natura disseruit Bochart Hieroz. 1. pg. 893 (Opp. edit. Lugd. 1682.). *Deinde* non bene principes mihi videntur comparari posse cum *cervis* pascua (מִרְעֶה) non invenientibus, neque in s. c. unquam *cervorum* fit mentio, quasi fame laborantes optime depingentium; nam quod legitur Jerem. 14, 5 כִּי גַם־אַיֶּלֶת בַּשָּׂדֶה יָלְדָה וְעָזוֹב כִּי לֹא־הָיָה דֶּשֶׁא, id *summæ sterilitatis* continet descriptionem, quæ sterilitas tanta est, ut cervæ, de *partu alias maxime sollicitæ*, catulos derelinquant pabuli quærendi causa, itaque lucem nostro loco affundere non potest. Neque Psalm. 42, 2 huc pertinere dicet, qui et עָרַג ibi incertum esse (cfr. Credner ad Joel. pag. 162—63) et

non famem, sed *sitim*, cujus impatientes sunt cervi, ibi memorari cogitaverit. Accedit, quod *pulchritudinis*, *gracilitatis*, *velocitatis* imagines, nullo l. *timiditatis* ex אַיָּלֹת in s. c. sumuntur. Quæ cum ita sint, mihi quidem sanam lectionem a LXX et Vulg. servatam esse persvasum est; legerunt enim כְּאֵילִים, illi *ὡς κριοί*, hic: *velut arietes* vert. Quam sæpe principes cum arietibus taurisque comparentur, perquam notum est (cfr. Boch. l. c. pag. 287); atque eo elegantiorem h. l. nobis offert imaginem hæc comparatio, quo tristius spectaculum nobis exhibent principes ne illi quidem ab *inediæ* calamitate liberati. בְלֹא־כֹחַ „mit Ohn-Macht" de quo dicendi genere vid. Ges. Lehrg. pg. 832.

7. *Meminit Hierosolyma dierum, quibus afflicta et vagata est,* (meminit) *omnium, quæ ei erant desiderabilia pristinis diebus; cum populus ejus occideretur hostis manu, neque esset, qui opem ferret; spectant eam adversarii, irrident ferias ejus.*

Sensus est: quum Hierosolyma opibus floreret, et singularibus beneficiis esset ornata, nequaquam eam memorem fuisse eorum, quæ Deus in ipsam contulisset; nunc vero, cum ingruant mala, et horum et præteritarum deliciarum animos subire memoriam. Calvin Lowth, Börmel, Rosenm., Maur. alii יְמֵי pro בִּימֵי dictum tempusque significare censent illud, *quo recordatur*, vertentes, *meminit tristibus diebus eorum*,

quæ erant desiderabilia[1]). Aliter LXX, qui ἐμνήσθη Ἱερους. ἡμερῶν ταπεινώσεως αὐτῆς καὶ ἀπωσμῶν αὐτῆς. Πάντα τὰ ἐπιθυμήματα αὐτῆς... ἰδόντες οἱ ἐχθροὶ ἐγέλασαν. Mihi neque hoc neque illud placet; quasi abrupta enim et præcisa mihi videtur oratio, *qualis in gravibus affectibus esse solet*, igitur et כָּל־יְמֵי et כֹּל מַחֲמַדֶּיהָ *objectum*, ut ajunt, verbi זָכְרָה esse statuo. Atque ita quoque verterunt Vulg. interp. et Pareau. Vox מְרוּדִים omnino incerta; exstat modo h. l. 3, 19. et Es. 58, 7. ubi legitur וַעֲנִיִּים מְרוּדִים תָּבִיא בָיִת. Gesen. non ex Hebr. רוּד, *vagari*, sed ex Æth. רוד *persequi*, derivandam censet. At, quid obstet significationi *vagationun*, *errorum*, non video, si, ut ipse ait V. C. abstractum pro concreto positum esse dicas. Igitur illud Esaiæ vertam: *ut pauperes vagantes (errantes) in domos recipias*; ita quoque Es. l. c. versiones; LXX ἄστεγοι, Vulg. *vagi*, Chald. מְטַלְטְלִין, Syr. ܐܟܣܢܝܐ i. e. ξένοι. Nostro loco LXX ἀπώσμος, 3, 19. διώγμος. Vulg. h. l. *prævaricatio*, 3, 19. *transgressio*. Maneamus igitur in illa ex Hebr. רוּד deducta significatione vagationum (illam præpositam litt. מ præclare illustr. Ewald Gr. § 338 sq. cfr. Petterson pg. 263 sq.) ad formam מְעוּף Es. 8, 22. *tenebræ*, quod quoque in versione nostra indicavimus. מִשְׁבַּת ἀπ. λεγ. Börmel, Rosenm., Dathe, Gesen. alii *interitum* verterunt, quod defendi posse (ex שָׁבַת desinere) vix est, qui neget. Verum orationis fervori vix hæc significatio respondere

---

1) Hubigantius etiam בימי lectum fuisse censet, ב ob similitudinem ejus cum מ, quod proxime antecedit, facile omitti potuisse monens.

videtur, neque versionum ulla hanc habet. LXX: *ἐπὶ κατοικεσίᾳ* (Alex. Complut. *μετοικεσία*), מוֹשְׁבֹתֶיהָ legentes. Chald. עַל טוּבְתָה דִי-פְסַק מִבֵּינָהָא, *ob bonum, quod desiit esse inter eam Syr.* ܥܠ ܬܒܪܗ, *de contritione ejus*. Jam cum ex Lev. 26, 34 cfr. 2 Chron. 36, 21. exsilium Babylon. ob neglectum *annorum Sabbat.* cultum Judæis impositum, atque cum *εἰρωνίᾳ* quadam *ferias Sabb.* vocatum esse legamus[1]), mihi quidem dubium esse non videtur, quin h. l. acerba irrisio indicetur, quo factum, ut verterim: *irrident hostes ferias ejus* i. e. tristem terræ solitudinem. Hoc nescio an viderit Vulg. cum reddiderit: Sabbatha ejus, et ex Syr. Hex. Symm. *ἀργίᾳ*.

8. *Graviter peccavit Hierosolyma; propterea vaga facta est; quotquot eam honorarunt, jam eam contemnunt, fæditatem ejus videntes(?); ipsa vero sedet aversa, graviter gemens.*

נִידָה h. l. idem significare ac נִדָּה v. 17, ut voluit Maurer, Gesenium secutus, qui (Lehrg. pg. 145) exemplis ex מוֹרִיגִים 1 Chr. 21, 23. et מוֹרִגִּים 2 Sam. 24, 22. פִּילֶגֶשׁ et פִּלֶגֶשׁ etc. hanc loquendi rationem illustravit, dubitare me profiteor, tum, quia non verisimile videtur idem verbum in eodem capite aliter sive a Massorethis, sive ab Jeremia esse scriptum, neque ulla in codd. enotatur scripturæ diversitas, tum quia vers. ant. nulla hæc duo confudit. Nostrum LXX *εἰς σάλον* (itaque

---

1) „Die Zeit des Exils wird als ein solches Sabbathsjahr „betrachtet, während welchem das Land seine Ferien „halten musste." v. Bohlen die Gesenis hist. kritisch. erläutert. Königsb. 1835 p. CXXXVIII.

legisse vult. Midd. Syr-Hex., qui l. ܠܡܬܬܙܝܥܘ ex ܙܘܥ commoveri legendum censet), Vulg. *instabilis*, Chald. בְּטַלְטוּל חֲוַת *in deportationem*. Ita quoque Jarchides: לגולה לשון נע ונד[1] אישמובנת בלע"ז. Aben Esra ללעג *in irrisionem* (quasi si quis caput concutiat labiaque moveat); ita Riegler. Quæ cum ita sint, ex נוּד vagari, ducendum arbitror. הִזִּילוּהָ spreverunt eam; Gesen. in Lexic. nov. edit. et Thes. ex זוּל (Chald. forma), antea ex זלל derivavit. רָאוּ עֶרְוָתָהּ non alia indicat, ac ea, quæ sæpissime in Lev. occurrunt, nisi quod in hoc libro cum ignominia etiam concubitus designatur, in nostro modo fædatæ mulieris (Hieros.) contumelia cfr. Es. 3, 17. 47, 3. Ezech. 16, 37. Nah. 3, 5. וַתָּשָׁב אָחוֹר conversa est retrorsum, bene explicante Calmet: „*Elle* „*s'est retirée de hont*e *et n'a osé paroître devant les* „*hommes, parce qu'ils se sont apperçus de sa honte.*" Wiedenfeld: „zieht sich beschämt zurück." Ita et peccata urbis carpuntur et misericordia non abjicitur.

Vestis ejus immunditie sunt conspersæ, neque finem respexit, mirabiliter est dejecta; non est, qui eam consoletur; aspice, Jehova, afflictionem meam; ingravescit enim hostis. 9.

טֻמְאָתָהּ בְּשׁוּלֶיהָ proprie: *immundities ejus erat in fimbriis ejus*, quo nihil turpius Lev. 5, 3. 15, 26. 18, 19, neque in retenta mulieris imagine magis abominanda peti potuit vitiorum et abjectissimæ condicionis significatio, quam e *menstruatione*, Orientalibus præsertim, quibus mulier menstruata fædissima videtur cfr. v. 17.

---

[1]) Num: émouvement?

Ezech. 36, 17. Zach. 13, 1. Es. 30, 22. 64, 5; indicare igitur voluit vates, tam aperta esse scelera ejus, ut amplius tegi non possint. לֹא זָכְרָה אַחֲרִיתָהּ *non respexit finem suam*, quem finem habitura sit peccatorum moles. Chald. בְּסוֹפָהּ רוּמַיָּא; similem loquendi formam invenies Deut. 32, 29. יָבִינוּ לְאַחֲרִיתָם. וַתֵּרֶד פְּלָאִים *descendit* i. e. dejecta est cfr. Deut. 28, 52. Es. 34, 7. Zach. 11, 2. פְּלָאִים h. l. adverbii loco dictum: *mirabiliter*, i. e., non, ut explicat *Calvinus*, prodigioso modo, sed multorum cum admiratione cfr. Ps. 139, 14 נוֹרָאוֹת נִפְלֵיתִי (cfr. Schroeder pg. 310. Ewald § 522). LXX *κατεβίβασεν ὑπέρογκα*, Vulg. *deposita est vehementer*. Ex Theodoreto tribuit Symmacho Schleusner: *πέπτωκε θαυμαστῶς*, quod Syr.-Hex. non habet. רְאֵה יְהוָה Eleganti *προσωποποιΐᾳ*, quæ inde a v. 11 ad Capitis finem continuatur, de sua ipsius miseria querentem inducit vates Hierosolymam, quæ, cum homines solatium non adhibeant (אֵין מְנַחֵם), Deum respicit patronum. Bene Dathe: Vide, *inquit*, miseriam meam.

10. *Manum suam extendit hostes ad pretiosissimas quasque res ejus, profecto vidit* (urbs), *gentes in sanctuarium venerunt, quibus, ne in tuum venirent cœtum, interdixeras.*

Ex suffixo vocis מַחֲמַדֶּיהָ petendum est subjectum verbi רָאֲתָה, neque talis subjectorum mutatio Hebr. scriptoribus insolita aut infrequens (cfr. *Freitag* Gr. Hebr. 1835 pg. 263). Difficultatem aliquam parit particula כִּי ante רָאֲתָה, *causam* hoc loco minime illa quidem indicans, neque sensum attigerunt LXX *εἶδε γάρ*, Vulg. *quia* videt. Omiserunt fere *omnes*, quotquot

vidi interpretes, (Joel Löwe; „*schon* legt er Hand, *schon* sieht Barbaren sie, magis poetice, quam fideliter reddit), sive incuria, sive quod scriptoris sententiam non intellexerunt. Totus hic locus descriptionem continet hostium summa vi ingruentium, affectus plenam, atque abruptam, neque ante בָּאוּ cum interpret. כִּי ὅτι, nostr. „at" omissum esse credo. Ejusmodi autem in *sermonibus vehementibus* כִּי *orationis affirmandæ* causæ additur[1]); itaque כִּי רָאֲתָה verti, *profecto* vidit; comparet, cui lubet Gen. 42, 16. חֵי פַרְעֹה כִּי מְרַגְּלִים אַתֶּם, „*sic vivat Pharao! profecto estis exploratores*, pluresque huic similes jurandi et adseverandi formulas. Cum ne Israelitis quidem omnibus liceret sanctuarium intrare, quanto turpius eos ingredientes aspicere, qui ne civitate quidem possent donari, nam בּוֹא בְקָהָל est civibus adscribi (cfr. Mich. mos. R. § 139) cfr. Ezech. 44, 9. Ob defectum orationis,

---

1) Nuper de hac re disputavit, (nulla nostri loci facta mentione) *Redslob* in libello, qui inscribitur: „*De particulæ Hebr.* כִּי *origine et indole.* Lips. 1835," qui (pg. 32) „Propriam vim cum energia et diserte affirmandi s. ponendi particula כִּי, ut facile intelligitur, tum tantummodo puram putam ostendere potest, quando propositionibus eorumque rationibus non ipsa implicita est, itaque ab initio sermonis. Quæ ejus vis propria cum ea sit, ut aliquid *ratum* esse dicat et *verum* esse declaret, ex natura sua optime vertitur per *rato* (אָמְנָם) *profecto* (fürwahr) *sane* (wohl), quanquam in loquendo eam energiam, quam præpositio ab ea accipit, etiam solo vividiore tono gestuve exprimere potes." Rem quoque tetigit Ew. § 601.

quam *indirectam* vocant, ita sonant verba: אֲשֶׁר צִוִּיתָה לֹא יָבֹאוּ.

11. *Omnis populus ejus gemebundus, panem quærens, quicquid est pretiosum pro cibo ad vitam sustentandam tradit. Vide, Jehova et aspice! si quidem contemta sum.*

Egregie hostibus, qui pretiosissima quæque ex urbe temploque direpta abstulerunt, opponit incolarum miseriam, qui, cum ne cibus ad vitam sustentandam quidem sufficeret, quicquid esset reliqui de rebus pretiosis, panis emendi causa dedere cogerentur, dira fame in urbe grassante Jerem. 37, 21. 38, 9. 52, 6. לְהָשִׁיב נָפֶשׁ *ad animum recreandum*; fugit quasi vita, premente inedia, — (*οὐδὲν γὰρ κύντερον γαςρός* — Odyss. 7, 216), revocatur cibo; ita Chald. לְקַיָּמָא נַפְשָׁא. — הַבִּיטָה, *aspice*, LXX *ἐπίβλεψον*. Hæc vocis hujus interpretatio *Schultensio*, qui de radice: נבט summo studio disputavit (Orig. Hebr. pg. 152), vim ejus h. l. non satis indicare videtur: „Acrius," inquit, „vibrabit oratio et „pulchre renidebit, sic concepta: *Vide, Domine, et* „*micato.* Figura est, quæ oculum apertum et aciem „contentissimam ac tremulo motu semet evibrantem „subjicit;" doctius vereor et ingeniosius, quam verius. זוֹלֵלָה aut ex זלל aut ex זול arab. usu: contemta.

12. *Non vobis* (sc. miseriam queror)! *omnes, qui transitis per viam, aspicite et videte, num sit dolor, meo dolori consimilis, quo exhausit me, quo afflixit me Jehova die excandescentis iræ!*

In verbis לוֹא אֲלֵיכֶם vehementer torquentur interpretes, neque lucem affundunt versiones. LXX *οἱ πρὸς ὑμᾶς*, quod *Herder* ingeniose errore librariorum ortum atque in *οἶ* mutandum esse censuit, ut sit exclamantis et indignantis particula: *ecce vobis* (Præfat. edit Börmel. pg. 19 sq.), quod tamen in adjuncta interpretatione germ. omisit. Chald. אַשְׁבַּעַת לְכוֹן: *adjuro vobis*, eodemque fere modo Luther: „Euch allen sag ich.“ Vulg. *ó vos omnes*, atque ita *Koch*. Hæc omnia perturbata sunt. Melius quidam alii interpretari videntur, qui הָגִיא supplent, ut *Aben Esra*, *Löwe*, *Börmel*, *Rosenm.*, quorum alii: *ne vobis accidant hæc mala* — repugnante Gramm. norma; hoc enim sonaret אַל יַגִּיעַ; alii: *adhuc non ad vos pervenit, quod mihi accidit*, quam quidem interpretationem duram vocare dubitabit nemo. Neque hæc igitur admittenda, neque ea, quam defendendam susceperunt *Calvinus*, *Pfeiffer* (Dubia vexata pg. 765), *Lowth*, *de Wette*, לוֹא interrogantis modo pro הֲלֹא positum esse rati: *Nullusne vos calamitatis meæ movet sensus? Nullane mei vos tangit misericordia*[1])? Cui interpretationi, quam arbitrariam vocat *Maurer* (duram equidem esse haud abnuerim), vix tamen prætulerim eam, quam ipse proposuit. Is enim ex Es. 65, 5 (cfr. Gesen. l. c.) et ex Arabico sermone nostrum לוֹא אֲלֵיכֶם

---

1) Riegler: „Rührts euch nicht.“ Wiedenfeld: „Drang dies Gerücht nicht zu euch?“ Omnino aliter interrogationem intellexit *Glassius* (pg. 561): *An non ad vos* (sc. hoc spectat) *omnes transeuntes viam*, quasi dicat: spectate, in me intuimimi; vos quoque similia affligere possunt mala; itaque pænitentiam agite.

explicat: *non ad vos* sc. ita, i. e. *nolite abire vestram viam*, resistite; monetque in Arab. epitaphiis scriptum plerumque legi: *ne prœtereas victor!* Obstat ingeniosæ huic explicationi, quod urbs non mortua et sepulta, sed afflicta et vulnerata, in viam projecta, prætereuntium commiserationi tradita depingitur. *Deilingius* (Observ. sacr. I. pg. 189) hæc verba ex antiquissima Chaldæorum et Assyriorum consvetudine optime illustrari posse credit; solitos enim esse hos, ægrotis hominibus in compitis expositis, quærere ex prætereuntibus, an quisquam præsentis morbi norit remedium [1]). At Chaldæorum, acerbissimorum hostium, mores nostro in mentem venisse, vehementer dubito. Quæ sententiæ cum vix scriptoris mentem exprimere videantur, explicationem *Michaelis* omnibus præferendam esse censeo, vertentis: *non vobis* (sc. de calamitate queror), quasi diceret: cur vobiscum de sorte mea conquerar; ullane vos tangat misericordia? mox autem corrigit se vates (quemadmodum solemus facere nos quidem omnes, gravi luctu vexati, ut ab alio ad alium sensum celeriter transeamus) [2]), atque eorum implorat misericordiam.

---

1) cfr. Strabo lib. XVI. pg. 513. Herod. I. 197. Plutarchi Moral. 2.

2) Bene Freytag (l. c. pag. 264): „Der ungebildete und „*lebhafte* Mensch ordnet seine Gedanken nicht immer „ganz richtig. Seine Lebendigkeit bewirkt, dass *so* „*wie er in seinen Gedanken oft plötzlich von einem Ge-* „*genstande zum andern überspringt*, *er auch eine Aus-* „*drucksweise verlässt* und z. B. von einer erzählenden „Person eine handlende wird. Dies hat grossen Ein- „fluss auf Bildung der Sätze, und es darf uns nicht

מַכְאוֹב Ps. 38, 18. Koh. I. 18. Jerem. 30, 15. De עוֹלֵל, quod verbum noster amat, v. 22. 2, 20. 3, 51, optime disputarunt *Schultens*. (Orig. pag. 86), qui nostrum quoque locum illustravit, et eum secutus *Gesenius* (Lex), nisi quod hic h. l. passive, ut aiunt, dictum esse vult, id quod vix statuerim; sequitur enim לִי אֲשֶׁר הוֹגָה יְהוָה, et Poel semper activæ est notionis (nec obstat Patach pro (..) positum Lehrg. pg. 177 Freitag pg. 93). עלל proprie significat *mulgere*, *haurire*, præcipue *secunda vice haurire*, deinde vires in aliquo exercere, male in aliquem consulere; itaque „*dolor*, „*quo me hausit*“ i. e. qui mihi vires vitamque exhausit, „in me ictus congeminans, me identidem telis suis „repetens;“ simili exhauriendi imagine utentes Schultens. Sil. Ital. 7, 583. Valerium Flacc. 6, 554. Stat. 8, 667. (cfr. quæ in vindiciis defendendi causa adjunxit pag. 496 sq.) affert. LXX, ut jam supra dictum est (§ 15), vertere solent ἐπιφυλλίζειν (1, 22. 2, 20. 3, 51), idque h. l. secutus est Vulg. interpres; „quoniam *vindemiavit* me Deus,“ cfr. Jerem. 6, 9. Secund. Theod. vertit Syr.: *coxit*, ἧψε, quod unius codicis autoritate nixus in ἔθλιψε mutavit *Doederlein*. Apud LXX omnia quoque perturbata (cfr. § 15. Capell. 608, 870); הוֹגָה eos ex הגה, Arab. *loqui*, deduxisse credunt interpretes, quod quidem l. c. refellimus, φθεγξάμενος ad superiora verba pertinere monentes.

„wundern, dass wir in denselben nicht immer die lo-„gische und grammatische Richtigkeit finden, wie wir „sie in den neuern abendländischen gewohnt sind.“

13. *De sublimi demisit ignem in ossa mea et dominatur in eo; rete pedibus meis extendit, me retrorsum egit, vastatam me fecit semperque œgram.*

Frequentissima Dei *cum igne* comparatio in s. c. Deut. 4, 24. יְהוָה אֱלֹהֶיךָ אֵשׁ אֹכְלָה (Ebr. 12, 29) cfr. Ps. 18, 9. (2 Sam. 22, 9.) Es. 30, 27. Jerem. 21, 12. Ezech. 38, 19. Hoc loco iræ divinæ gravitatem quatuor imaginibus describit, similitudine ducta primum ab immisso igni, deinde a reti expanso, tum a jugo imposito, denique a torculari calcato (cfr. I. H. Michaelis Not. uber. in Hagiogr. 2, 787). וַיִּרְדֶּנָּה neque cum *Maurero*, qui: *grassatur in ea* (ossa), neque cum *Rosenm. diffregit ea*, verterim; nam נָּה sing. non bene aptari potest plur. עַצְמֹתַי, nisi cum *Calvino* vertas: *dominatus est ignis in unoquoque ossium*, quod, quamvis a lingvæ Hebr. regulis non abhorrens illud quidem, vix tamen in nostrum cadere potest locum (cfr. Gesen. Lehrg. § 184. 3. a.); pertinet נָּה ad אֵשׁ, neque est, cur subjecta mutes, ut fecit Gesenius: „aus der Höhe sendet er Feuer, und *es*[1]) herschet darin," ubi pro „es" malim legere: „er," quemadmodum quoque verti; præclaram equidem divinæ potentiæ video descriptionem, si Dei ira nobis repræsentatur tanquam ignis, neque ille quidem ignis *sua vi* furens, sed a Deo immissus et gubernatus. Aben Esra, LXX נָּה quoque ad אֵשׁ retulerunt; hi enim interp. *κατήγαγεν αὐτό*.

---

1) Neque in Thes. neque in Lexico nostrum locum ad eos retulit, in quibus אֵשׁ masculini est generis, quod quam raro accidat, vide ipsius S. V. Lehrg. pg. 645 not.

Bene hoc defendit *Böisen*[1]), qui ex Arabico usu רדי nostrum locum ita explicat: „und es herabgeschleudert,“ quo nihil significantius, si modo verum. Quod habet Vulg. *et erudivit me,* id ex Syr. usu רדה, *docere, castigare,* deduci oportere de Jerem. 5, 31. docet Gesenius; itaque eum aliud legisse non opus est statuere. Altera imagine, פָּרַשׂ רֶשֶׁת, de Deo utuntur in aliis quoque locis poetæ Hebr. Ezech. 12, 13. 17, 20. 32, 3. Hos. 7, 12. הֱשִׁיבַנִי אָחוֹר me retrorsum egit, Riegl. Wied. Löwe: „Zog mich rücklings nieder“ i. e. in reti. אָחוֹר pleonastice dictum, suo jure monuit Gesen. נְתָנַנִי *reddidit* me (cfr. Gen. 17, 5, et frequentissimum *τιθέναι* pro *ποιεῖν* usum apud Hom. Herod.). דָּוָה proprie de *mulieribus menstruatis* Lev. 15, 33. 20, 18, quod rectissime *Böttcher* (Proben pg. 8) cum radice דאב, *liquescere, tabescere,* cohærere ostendit, deinde ob imaginem, cujus supr. v. 9. facta est mentio, *afflicta.* De vers. LXX Vulg. § 15.

Jugum est alligatum, peccatorum meorum .14 *pœnæ ejus manu multiplicatæ sunt, ascenderunt super collum meum; debilitavit vires, dedit me dominus in manus (eorum, contra quos) stare non potui.*

Cur versum, intellectu difficillimum, accentibus relictis ita vertere sim ausus, de ea re lectores docebo,

---

1) „Beiträge zu einem richtigen System der hebr. Philologie.“ Leips. 1762. 2, pg. 471 et: „Kritische Erläuterung des Grundtextes des A. T.“ Halle 1764. 4, pg. 579.

cum aliorum explanationes κρίσει subjectas exposuero. LXX Ἐγρηγορήθη ἐπὶ τὰ ἀσεβήματά μου, ἐν χερσί μου συνεπλάκησαν, Vulg. *vigilavit jugum iniquitatum mearum, in manu ejus convolutæ sunt;* hæ versiones, quarum utraque pro נִשְׂקַד legit נִשְׁקַד, sanam scriptoris sententiam non exprimunt[1]), etsi Vulg. textus verba retinuit (§ 15), cum aliter legisse appareat LXX, עַל pr. עֹל, et בְּיָדַי pro בְּיָדוֹ. Chald. אִתְיַקַּר נִיר מְרוֹדַי בִּידֵיהּ אִשְׁתַּבְּשׁוּ כְּשִׁבְשִׁין דְּגוּפְנָא, *ingravescit jugum contumaciarum mearum in manu ejus, perplexæ sunt veluti palmites vitis. Dathe*, Syro autore, lectionem ita mutare voluit, ut scriberetur נִשְׁקְדוּ עָלַי פְּשָׁעַי וּבְיָדָיו יִשְׂתָּרְגוּ עָלָיו עַל צַוָּארִי: *Experrecta sunt contra me peccata mea, et manibus ejus connexa sunt juga super collum meum;* quod si ita cum scriptore agere liceret, quid esset, quod non in eo invenire posset quilibet? Intelligendi difficultates mihi non tam in נִשְׂקַד sita videtur, cujus vocis explicatio, cum h. l. solum inveniatur, neque quidquam illustrationis dialecti præbeant, conjiciendi felicitati erit relicta, quam in יִשְׂתָּרְגוּ, cum non pateat, quo sensu peccata *implexæ* seu *contortæ* esse dicantur. Neque video, quid ad hanc rem illustrandam faciant ea, quæ proposuit J. H. *Mich.* (not. uber.):

---

1) Nam quod Joel Löwe explicandi causa dixit: „Ein ge-„wöhnliches Joch ist von dürren Reisern zusammenge-„flochten und kann doch immer abgenommen werden. „Nicht so jenes Sündenjoch; dieses schlägt in Gottes „Wunderhand von neuem aus, die Zweige verflechten „sich, umwinden fast der Unterjochten Hals" etc. id, etsi ingeniose excogitatum, magis tamen exquisitum, quam pro nostro, mihi videtur.

„Veluti ex contortis funibus aut complicatis lignis jugum „quoddam construitur, ita h. l. prævaricationes tanquam „materia insupportabilis jugi considerantur, quæ cum „puniantur, dicuntur ascendere;“ non enim *jugum* sed *peccata* complexa esse vult vates. Itaque cum nulla harum interp. sensui apta esse videatur, aliam, relictis accentibus, novam illam quidem, sed, ut mihi quidem videtur, faciliorem intellectu, et Gramm. convenientiorem proponere audeo. *Jugum* enim nunquam de peccatis sed, quantum memini, *de peccatorum pœnis*, de calamitate ex iis orta sæpissime adhibetur; cfr. Es. 10, 27. 14, 25. 47, 6. Jerem. 27, 8. Ezech. 34, 27; itaque נִשְׂקַד עֹל explico: *jugum alligatum* i. e. *impositum est* (i. e. pæna constituta), cui respondet פְּשָׁעַי, si id quoque non de peccatis, sed de *scelerum pœnis* accipias, quemadmodum sæpe occurrunt *similis* notionis vocabula חַטָּאת, ἁμαρτία cfr. Dan. 9, 24; et עָוֹן (Ges. ad Es. p. 241). שׂרג vero, quod præter Hiob 40, 17. גִּידֵי פַּחֲדָיו יְשֹׂרָגוּ et Deriv. שָׂרִיגִים, *palmites*, non invenitur, etsi: *perplexæ*, significare non dubito, hoc tamen non nisi de *multiplicatis* peccatis, *quarum alterum alterum quasi obruit*, explicari posse video; ad יִשְׂתָּרְגוּ igitur relato, id quod verborum series poscere videtur, verba פְּשָׁעַי וגו'' verti: *multiplicatæ sunt vitiorum meorum poenæ ejus manu* Hanc interpret., quæ mihi sese valde probavit, doctis etiam placere cupio. הִכְשִׁיל כֹּחִי non cum Maurero impers. dictum esse arbitror: „es beugt meine Kraft,“ sed subj. est id, quod sequitur אֲדֹנָי. — נְתָנַנִי *tradidit*

me in manus eorum[1]), *contra quos etc.*; de בִּידֵי, stat. constr. vide egregiam explanationem Gesenii (§ 177 et 99 Lehrg.), quæ *regimen* locum habere posse docet, ubi nomen rectum implicite continetur in pron. relat. eoque vel expresso vel omisso, ut Ps. 81, 6. שְׂפַת לֹא יָדַעְתִּי אֶשְׁמָע *labium* (ejus) quem non noveram, audiebam. Exod. 4, 13. שְׁלַח בְּיַד־תִּשְׁלָח *mitte per manum* (ejus, quem) *mittere vis*. Cujus regiminis causa sine dubio in eo est, quod enunciatio proxima pro *uno* verbo habetur, ut recte viderunt Mendelsohn, Löwe, Ewald § 487; hujus rei clarum præbet exemplum Ps. 16, 3. אַדִּירֵי כָּל־חֶפְצִי־בָם, ubi כ׳ ח׳ ב׳ (אֲשֶׁר) pro *uno objecto* habetur *nobiles quibus delector*. Quæ cum ita sint, non opus est cum *Herdero* lectionem mutare, ut pro בִּידֵי legas בִּדְוָי: „der Herr hat mich zum Tode krank gemacht; nie werd' ich wieder aufstehn." Plane aliter LXX ἔδωκε Κύριος ἐν χερσί μου ὀδύνας, sive illud בִּידֵי non legerunt, sed בְּדוָי, et ex suo addiderunt ὀδύνας, sive legerunt vel lectum audiverunt נָתַן עָנִי pro נְתָנַנִי.

15. *Conculcavit dominus fortissimos civium meorum, excitat contra me tempus constitutum*

---

[1]) Ita Chald. מְסַר יְיָ יָתִי בִּידֵי מַן דְּלֵית יָכִיל אֲנָא לְמֵקָם, Vulg. *dedit me dominus in manu, de qua non potero surgere. Schleusner* (cur l. c.) totum locum sic describit: *collecta est a Deo moles peccatorum meorum* (עֹל, jugum, in omnibus lingvis hoc significare ait?); *in manus ejus sunt complicata* (a Deo in unum locum quasi collecta, ut judicium de iis ferre possit); *ascenderunt super collum meum* (mole eorum obrutus sum), *infregit vires meas, dedit me in manus* (sc. hostium), *quibus resistere nullo modo possum*.

ad juvenes meos confringendos, torcular calcavit virgini, filiæ Judæ.

סִלָּה notione incerta; Hebr. Kimchi, Jarchi, Aben Esra, Dathe: *calcare* (explicant: רָמַס, דָּרַךְ); itemque Syr. ܟܒܫ, *subigere*; neque afferri potest מְסִלָּה via, quæ vox dageschata derivanda est e forma סָלַל. Gesen. Maur. recentiorumque alii סלא, סלה et סלל ex *elevandi*, quam propriam ejus radicis vim esse dicunt, notione in *spernendi* vim traductum esse volunt, ut Ps. 119, 118; hoc cogitasse LXX vertentes: *ἐξῆρε*, vix probabile est. Vulg. *abstulit*, Chald. כְּנַשׁ *collegit* (non aliter ille legisse putandus est, ut voluit Mich. Suppl. Nr. 1760); pro בְּקִרְבִּי LXX Vulg. Börmel, Böisen (Erläut. pg. 598) מִקִּרְבִּי „er riss aus meiner Mitte die Helden weg," quod non necessarium est, cum בְּקִרְבִּי in me (*urbe*) media significet; ita Jerem. 4, 14. עַד־מָתַי תָּלִין בְּקִרְבֵּךְ *quousque servabis in te* (inter cives tuos) *vana consilia*; Zeph. 3, 3. שָׂרֶיהָ בְקִרְבָּהּ אֲרָיוֹת שֹׁאֲגִים (cfr. Noldii part. pg. 212). Vix sensum verborum, quæ sequuntur, intellexerunt, qui, ut Rosenm. קָרָא עָלַי מוֹעֵד vertunt: *conventum* (i. e. hostium exercitum) *contra me convocat*, cum sensus potius sit: *advocat, excitat contra me tempus constitutum*; jam adest dies pænarum, sæpe intentatus. Ita infinitis locis tempus pænæ destinatum vocatur יוֹם Es. 13, 6. 9. Jerem. 50, 27, Ezech. 30, 2. 3. Zeph. 1, 14. Joel 1, 15; eadem plane ratione noster v. 21. הֵבֵאתָ יוֹם־קָרָאתָ, quibus verbis nostra egregie illustrantur. Sublimi imagine Deus depingitur tanquam heros, qui, nulla principum nobilium habita cura, tempus a se ad pænam sumendam desti-

natum advocat[1]), quam majestatis imaginem retinent sequentia: גַּת דָּרַךְ *torcular calcavit*. Quemadmodum enim poetæ Hebr. ex aliis ad rem rusticam pertinentibus rebus *excidii* similitudines petunt, e frumenti tritura (Es. 21, 10.), vineæ destructione (Es. 18, 4), ex silva decisa (Es. 10, 34), ex uvarum messe (Jerem. 49, 9. Obad. 5), ita triste cædis sangvinolentæ spectaculum nobis h. l. offertur *e torculari calcato*, ut Joel 4, 13. 14 (cfr. Credner pg. 83, 253), Es. 63, 1—3. Apoc. 14, 15; cum vero uvæ conterendæ plerumque in torculari *extra urbem* posito calcari solerent (vide Ewald. ad Apoc. pg. 250), major h. l. nobis adumbratur crudelitas, cæde *in ipsa urbe* ingravescente. De forma torcularis apud Hebræos vide Gesen. ad Es. 5, 2, Rosenm. Alt. u. N. Morg. 4, 217, Studer l. c. pg. 179.

16. *Propterea ploro—oculus meus in lacrimas dissolvitur, nam procul est a me, qui consoletur, qui animum meum reficiat, nam validus est hostis.*

עַל־אֵלֶּה propterea 5, 17. Alex. cum antecedentibus jungunt; (de בוֹכִיָּה Gesen. Lehrg. pg. 429). עֵינִי עֵינִי

1) A nobis dissentiens egregie hujus loci elegantiam explicavit Wiedenfeld (l. c. pg. 50—51): „Ein Fest der „Freude und rauschenden Jubels, wie die Weinlese bei „den Hebräern, muss ihm (poetæ) die Bilder zur Be„zeichnung des tiefsten Schmerzens, des wehmüthigsten „bittersten Klaggestöhns und der Niedermetzelung der „blühendsten Jünglinge Jedes hergeben....Eine furcht„bare Weinlese! Der Herr hat die Feinde zu diesem „Jubelfeste eingeladen."

יָרְדָה מַּיִם *oculus meus descendit in aquas* i. e. oculi ipsi quasi dissoluti in aquas liquescunt: Ita Germani: „mein Auge zerfliesst in Thränen“ cfr. Jerem. 9, 17. 13, 17. 14, 17. Ps. 119, 136. Thr. 3, 47. Explicant hoc dicendi genus *Schultens* in Orig. Hebr. pg. 96—97, Rosenm. ad Jerem. 9, 17, Gesen. Lehrg. pg. 809, Ewald Gr. § 513. Dathe, quia repetitum verbum עֵין interpretum veterum legerit nemo [1]), cum hoc comma inciperet a littera ע, superscriptam fuisse vocem עין credit, unde in textum venisse opinatur. Præivit in hoc statuendo jam *Hubigantius*; neque multis probavit conjecturam.

17. ***Expandit Sion manus suas, nemine eam consolante; hostes circum eam contra Jacobum*** (advenire) ***jussit; facta est Hierosolyma, quasi menstruis polluta inter eos.***

פֵּרְשָׂה h. e. cum בְּ -gestus lamentabilis hostium vel amicorum misericordiam excitaturus Es. 1, 15. Ps. 88, 10. 143, 6. צִוָּה cum לְ et bono sensu ut Ps. 91, 11 et malo, ut h. l. *Riegl.*, *Wiedenf.* „er hat die Feinde *aufgeboten.*“ לְנִדָּה LXX *εἰς ἀποκαθημένην*, i. e. menstruatam, de quo dicendi genere vide v. 9. Miror sane, quomodo Gesenius, V. C. hanc vocem nostro l.: „vom Greuel des Götzendienstes, im Gegensatze des Heiligen“ dictum esse velit, cum orationis nexus dilucide ostendat, Hiersolymæ, obsidione pressæ, mala hic describi et abjectissimam, ex peccatis quidem ortam, condicionem, non ipsa peccata — cultum idolorum.

---

1) Miro errore Rosenm. עֵין bis positum dixit a Chaldæo, qui תְּרֵין עֵינַי *duo mei oculi* vertit.

18. *Justus est Deus, quia mandata ejus contumaciter recusavi; audite omnes gentes et videte meum dolorem; virgines meæ et juvenes mei in captivitatem abierunt.*

19. *Vocavi amicos meos — ipsi me deceperunt, — sacerdotes senesque meos — in urbe exspirarunt; nam quæsiverunt sibi cibum, ut reficerent animum suum.*

Verba ita jungenda:

קָרָאתִי לַמְאַהֲבַי—הֵמָּה רִמּוּנִי

(לְ)כֹּהֲנַי וּזְקֵנַי—בָּעִיר גָּוָעוּ

Hoc enim dicere vult poeta, neque ab *externis* (v. 2), neque a *suis* ullum fuisse exspectandum auxilium; sæpissime autem in membris *παραλλήλοις* quæ *præpositio* priore loco est posita, ea altero omittitur cfr. Hiob. 12, 12. Es. 28, 7 (Gesen. Lehrg. pg. 838 nosque de Cant. Deb. pg. 23). גָּוַע h. l. sensu proprio *deficiendi* (ut Arab. famelicus fuit, fame laboravit) positum esse crediderim. וְיָשִׁיבוּ *ut* recrearent; ita Exod. 7, 26 *Dimitte populum meum* וְיַעַבְדֻנִי *ut serviat mihi;* Jon. 1. 11. *Quid faciamus te* וְיִשְׁתֹּק, *ut conticescat mare*, neque video cur LXX addiderint *καὶ οὐχ εὗρον*; inest enim in גוע hæc notio. (Omisit quoque Complut.)

20. *Aspice Jehova, nam graviter affligor, exæstuant viscera mea, vertit se cor in me, ad iram eum provocavi, foris orbat gladius, intus tanquam mors.*

Optime *Calvinus:* „memoria repetendum est, dif„ferre istas lamentationes a profanis querimoniis, quo-

„niam fideles primo agnoscunt se juste castigari Dei „manu, deinde, confisi ejus misericordia, implorant „auxilium. Nam his duabus notis discernitur ecclesia „ab incredulis, *pœnitentia* et *fide*.“ En eam, cujus § 12 mentionem fecimus, σωφροσύνην. מֵעַי חֳמַרְמָרוּ *viscera mea exæstuant*, fervent Job 16, 16; desumta esse imago videtur seu ex vino effervescente Ps. 75, 9 sive ex aquis ebullentibus; cfr. Hom. πορφύρειν LXX l. c. ἐταράχθη; per *geminatas* verbi litteras *celeritatem* indicari, docuerunt Ew. § 233 et Hupfeld (Exerc. Æthiop. pg. 27, 28). נֶהְפַּךְ־בְּקִרְבִּי de vehementissimo doloris effectu; consimilis est locus Hos. 11. 8 נֶהְפַּךְ עָלַי לִבִּי. Pulcherrimam, quæ sequitur, *deletionis* imaginem in verbis מִחוּץ שִׁכְּלָה־כַּמָּוֶת turbarunt interp., qui scilicet singulari excidendi voci חֶרֶב opponi posse universalem מָוֶת negarent, neque כ in מָוֶת paterentur. Prius nullius sane momenti, cum in eo ipso constet poetice loquendi libertas, quod jejunis sermonis pedestris regulis non adstringitur; alterum jam explicabimus: *foris orbat* (1 Sam. 15, 33. Jerem. 15, 7. Ezech. 36, 13—15) *gladius*, *intus tanquam mors* h. e.: „si egredimur in „apertum, statim gladius occurrit; si autem domi la„temus, etiam illic nos multæ mortes accidunt. Uti„tur nota similitudinis, quasi diceret: nihil domi oc„currere, nisi mortale“ [potius: mortiferum] *Calvinus*. Apte comparari potest Æneid. 2, 368—369.

crudelis ubique
luctus, ubique pavor, et *plurima mortis imago*.

Jtaque neque cum *Rosenm.* verba transposita esse dices, ut sint pro מ' שׁ' חֶרֶב כְּמָוֶת בַּבַּיִת, neque cum

Schleusn., *Maur.* al. כ supervacaneum esse dices. כ enim, ut bene monuit Gesen., ibi ponitur, ubi, etsi nulla distincta instituitur comparatio, tamen non tam ipsa res, quam genus ejus comparationi subjicitur. Afferam explicandi causa ex N. T. Joh. 1. 14 *δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ τοῦ πατρὸς*, quo de loco bene *Winer* (Gr. des Neutest. Sprachidioms. Leipz. 1830 pg. 497): „wie die eines Eingebohrnen Gottes (sein muss) d. i. „ganz so, gerade so; d. h. die wahre vollkomne Herr„lichkeit des Gottessohnes." Hæc quidem nostrum כַּמָּוֶת egregie illustrant[1]). De re autem vide Jer. 14, 18 sq. Ezech. 7, 152.

21-22. *Audiunt me gementem, neque quisquam me consolatur, omnes hostes audiunt calamitatem meam, lætantur, quod tu fecisti. Adducis diem — et erunt mihi similes.*

Veniant omnia eorum scelera coram te, affige eos, quemadmodum me afflixisti propter peccatorum meorum multitudinem; multi enim sunt gemitus mei et cor meum langvidum.

Hostium, de interitu Judæorum lætantium sæpissime in s. c. fit mentio cfr. 4, 21. Es. 15, 2. Ezech. 25, 6. Mich. 7, 8 (cfr. ad 4, 21). כִּי אַתָּה עָשִׂיתָ i. e. eo effrenatius est gaudium eorum, quia, quem populum tot beneficiis a te ornatum viderunt, eum ipse Tu rejecisti summæque tradidisti miseriæ (cfr. ad 4, 11). הֵבֵאתָ — ut rem exploratam certamque fore indicet —

1) Eadem plane verba ac n. l. exhibet Deut. 32, 25 מִחוּץ תְּשַׁכֶּל־חֶרֶב, וּמֵחֲדָרִים אֵימָה ibi prædictio; hic eventus.

Adducis dixit vates pro *adduces*. Optime Schroeder (pg. 266): *quum adduxeris diem, quem denunciasti* (cfr. ad v. 15), *erunt sicut ego* i. e. eodem malo affligentur[1]. A sensu omnino aberravit Börmel. תָּבֹא *veniat*, precantis modo, quam *veniet* vertere malim; illud enim et affectibus vatis et iis, quæ sequuntur, precibus convenientius; de עוֹלֵל conf. v. 12; de דְּוַי v. 13.

---

1) De exsecrationibus, quibus poetæ Hebr. hostes suos et adversarios persequuntur, cfr. dissertatiunculam *Nachtigallii:* „Ueber das häufige Verwünschen der Feinde", quæ inserta est Henkes Magazin für Kirchengeschichte und Exegese VI. 359, et quæ monuimus ad 3, 64.

Cap. II.

1. ***Quomodo caligine obtexit in ira sua Deus filiam Sionis? de cœlo in terram dejecit Israelitarum decus, neque meminit pedum suorum scabelli die iræ suæ.***

De אֵיכָה vid. 1. 1. Quin יָעִיב, quod hoc uno loco legitur = עוּב — tenebris, caligine obductum esse Hiph. *obscurare* significet, dubitari non licet partim ob deriv. עָב *nubium caligo, nebulæ*, partim quoniam, consentientibus vers. LXX, Vulg., ad hanc notionem ipsa ducit radix. Chald. quidem יְקוּץ sprevit, itemque Syr. ܥܒܒ, quod Castelli *obscuravit* Mich. *sprevit* vertit; sed utrumque bene potest conjungi, si cum Gesen, (Lex. edit. nov. 2 pg. 199) translate obscurandi notionem in sign. spernendi abiisse dicas. Sæpisime publicæ calamitatis e *caligine* fit descriptio Ezech. 30, 3 קָרוֹב יוֹם ··· יוֹם עָנָן cfr. 34, 12, Joel 2, 10. 3, 4 (Credner pag. 230), Zeph. 1. 15. Am. 5, 18 יוֹם יְהוָֹה···· הוּא חֹשֶׁךְ (Glass. edit. Dathe pg. 1067). תִּפְאֶרֶת יִשְׂרָאֵל de *templo* plerique explicant, maxime loco Es. 64, 10 nixi, ad-

duntque id *de cœlo* disectum dici, quia alta ædificia cœlum tangere dicuntur (Gen. 11, 4). At illud Esaiæ nihil probare posse apparet; ibi enim legitur: בֵּית קָדְשֵׁנוּ וְתִפְאַרְתֵּנוּ, neque *domus decoris nostri* idem est ac *decus nostrum*, neque templum per se bene vocatur decus nostrum (habebant sane omnes gentes sua quæque templa), nisi ob *majestatem divinam* ibi commorantem; hæc autem competit in *arcam fæderis*, visibile potentiæ Dei domicilium. Luce hoc clarius ostendunt verba Ps. 78, 61, ubi וַיִּתֵּן לַשְּׁבִי עֻזּוֹ וְתִפְאַרְתּוֹ בְיַד־צָר de arca fæderis manibus Philistæorum abducta; ideo vocatur כְּבוֹד יְהוָה 1 Sam. 4, 21, quam ob rem uxor Pinehæ, arca fæderis ab hostibus capta, gloriam Dei ex Israele ablatam per nomen אִי־כָבוֹד[1]) filio impositum deplorat, cfr. Es. 46, 13; ideo templum non תִּפְאֶרֶת sed בֵּית תִּפְאֶרֶת Es. l. c, 60, 7, quia ibi, ut in cælis habitat Es. 63, 15, et מִשְׁכַּן כְּבוֹדֶךָ Ps. 26, 8; ideo templum *tum denique* sanctum habebatur, cum illata esset in id arca fæderis 2 Chr. 8, 11[2]). Quæ cum ita sint vix aliud significat תִּפְאֶרֶת, ac *arcum fæderis*, nec tot verbis de ea re dissereremus, nisi ad *secundi templi historiam* et ad multa de eo (in

---

1) vide quæ de hoc nomine disputavimus in Quæst. Bib. specimine secundo Othin. 1835 pag. 41.

2) Rectissime Hengstenb. (Christol. 2, 521) „Auf die Bun-„deslade beziehen sich alle Stellen, wo gesagt wird, „dass Gott unter Israel, dass er im Tempel, das er zu „Zion oder Jerusalem wohne....... *Sie*, der Ort, da „Gottes Ehre wohnte, wo er sich in seiner herrlich-„sten Offenbarung kund gab, wurde *die Ehre Israels* „*genannt.*“

quo defuisse constat arcam fæderis) vaticinia Jerem. et Zach. recte intelligenda multum faceret templi arcæque fæderis bene perspecta ratio. Quia vero majestas divina super arca fæderis sedebat sub imagine nubis, *quoties* [1]) in sanctissimum intravit summus sacerdos, hinc vocata est arca fæderis הֲדֹם רַגְלָיו *scabellum pedum ejus* 1 Par. 28 (29), 2. Ps. 99, 5. 132, 7, cui non repugnat, quod aliis in locis Es. 66, 1 tota terra pedum ejus dicitur scabellum. Hoc igitur voluit poeta: Deum projecisse de cælo i. e. ex sublimi sua sede sprevisse id, de quo gloriari solerent Israelitæ, neque memorem fuisse, quod sua ipsius præsentia iste locus fuisset nobilitatus (cfr. Eich. Bibl. V. 293. Gesen. ad Esa. 2, 296).

2. *Perdidit Deus — non pepercit — quicquid speciosum fuit Jacobo, destruxit in ira sua munitiones filiæ Judæ, projecit in terram, profanavit regnum ejusque principes.*

בִּלַּע propr. *devorare*, imagine ex *igne* desumta vel, ut voluit Pareau, *e terra dehiscente*, i. e. perdidit (§ 15). נְאוֹת יַעֲקֹב. LXX. Vulg. Chald. verterunt; *omnia speciosa Jacobi*, eosque nos secuti; versatur

---

1) Nam nubem, præsentiæ divinæ *σύμβολον, semper* super arca habitasse probari nequit, quod clare docuit *Hengstenb.* (Christol. 3 l. c.); cfr. quæ nos quoque de ea re monuendum esse censuimus in *Enchir. Exeg. Bibl.* 1. pag. 412. Rosenm. הַתִּפְאָרֶת non templum solum, sed omnino res florentissimas Judæorum intelligi vult, dubito, an recte ita dixerit.

enim vates in *gloriæ et majestatis jactura deploranda*, atque ea de causa, quotquot invenire potest ad id decus amissum describendum, colligit v. 1. תִּפְאֶרֶת, v. 2. מַמְלָכָה ,מִבְצְרֵי בַת־יְהוּדָה, v. 3. קֶרֶן, v. 4. מַחֲמַדֵּי עָיִן, v. 5. אַרְמְנֹת, v. 6. (כַּגַּן), v. 7. מִקְדָּשׁ etc., quibus in rebus pretiosis vix habitaculorum nomen locum habere potest; deinde vix de domibus eversis dixisset כָּל־נְאוֹת יַעֲקֹב, quia יַעֲקֹב non de urbibus, sed de civitate, *rerum publicarum ratione* habita, apud Hebræos poetas exstat. Bene quoque monuit *Böttcher* (Proben pg. 95), נָוֶה nunquam per se significare habitacnlnm, sed semper amænam, tranquillam sedem adjuncta pulchritudinis notione (cfr. Ges. Lex. s. v.). His de causis nos vertimus: *quicquid speciosum fuit Jacobo*. Vix sensum verborum חִלֵּל מַמְלָכָה intellexerunt, qui חִלֵּל nihil aliud quam *perdere* vel, si majus quæras, *regiæ* majestatis violationem indicare censent; חִלֵּל enim (propr. aperire, quæ sacra sunt) vix de aliis rebus usurpatur, quam de iis, quæ sacra vel sunt vel habentur, *profanandis*[1]); regnum autem Judæ σύμβολον erat regni divini, *quo in destruendo divina quasi majestas polluebatur*. Significat igitur חִלֵּל מַמְלָכָה Deum suum ipsius imperium profanari jussisse, maxime Ezech. 7, 21 coll. Ps. 89, 40. נֵאַרְתָּה בְּרִית עַבְדֶּךָ חִלַּלְתָּ לָאָרֶץ נִזְרוֹ quæ nostra egregie illustrant.

---

[1]) Neque obstat Es. 23, 9. לְחַלֵּל גְּאוֹן כָּל־צְבִי *ad profanandam tantæ gloriæ superbiam*; principes enim Tyri superbia sua se quasi sacrosanctas habebant, ad quos accedere liceret nemini.

3. *Confregit iræ suæ fervore omne cornu Israelis, avertit dexteram suam manum ab hostium facie, exarsit in Jacob velut ignis flamma, in orbem consumentis.*

Cornu frequentissimum potentiæ, roboris imaginem esse constat, 1 Sam. 2, 1. 10; 1 Reg. 22, 11. Ps. 75, 11. 132, 17. Jerem. 48, 25. Ezech. 29, 21. 34, 21. Am. 6, 13, notissimumque illud Horatii (3, 21, 17): „*addis pauperi cornua.*“ הֵשִׁיב אָחוֹר יְמִינוֹ plerique: *retraxit manum suam a facie hostium* i. e. eos non prohibuit, quo minus populum Isr. perderent i. e. popul. Jud., ut Dathe loquitur, non amplius defendit. Quam interpretationem qui sequuntur, ii tum וֹ ad Deum referre coguntur, cum id suff. nexu verborum ad יִשְׂרָאֵל et יַעֲקֹב pertinere videatur, tum ab alia ad aliam similitudinem transire vatem credant necesse est; quare alii, ut I. Mich. (not. ub.): *retraxit manum ejus*, ademit ei vim contra hostes pugnandi. Utrum verius, non nisi ex dicendi formula: הֵשִׁיב יָד illustrari potest: comparatis autem Gen. 38, 29; 2 Sam. 8, 3. Exod. 4, 7. Es. 1, 15. Jerem. 6, 9. Ezech. 18, 17. 20, 22. 38, 12. Am. 1, 8. Sach. 13, 7. quibus in locis hoc loquendi genus exstat, id vidi הֵשִׁיב יָדוֹ *nunquam non* significare: *suam retrahere manum;* itaque prius præferendum. Quia כָּאֵשׁ positum est, non de Chaldæorum igne, sed de ira divina id intelligi debet, qua de re dictum 1. 13.

4. *Arcum suum tetendit, ut hostis, stetit manu sua dextera velut adversarius, oculorum deli-*

cias omnes perdidit, in tentorium filiæ Sionis effudit, velut ignem, iram suam.

Nullum armorum genus apud Hebræos frequentius *arcu*, qui vel e ligno vel ex ære confectus (2 Sam. 22, 35) tanta fere erat magnitudine, ut non manibus, sed pedibus impositis tendi soleret[1]); ejusmodi arcus apud alias quoque antiquas gentes invenimus cfr. Diod. Sic. 3, 8. Arrian. Ind. 16. Curt. 8, 14. Ovid. Metam. 5, 383. Xenoph. Anab. 4. 2. Strab. 17 pg. 822. Hinc ad Deum refertur, qui tanquam *vir militaris* (אִישׁ מִלְחָמָה Exod. 15, 3) sæpe in s. c. repræsentatur, ut Ps. 7, 13. חַרְבּוֹ יִלְטוֹשׁ קַשְׁתּוֹ דָרַךְ cfr. Ps. 24, 8. Jerem. 32. 18. Jud. 5, 20. Jos. 10, 14; huc referre quoque non dubito: נִצָּב יְמִינוֹ כְּצָר *erecta est manus ejus instar hostis* (LXX ἐστερέωσε. Vulg. firmavit. male.) i. e. ipse hostibus dedit signum et sublata manu præiit; et occidit כֹּל מַחֲמַדֵּי עָיִן quicquid desiderant oculi i. e. *omnes oculorum delicias* cfr. 1 Reg. 20, 6. Ezech. 24, 16; hoc omnes fere interpp. de *principibus*, *sacerdotibus*, *parentibus* dictum[2]) esse volunt, quia הָרַג non nisi de animantium cæde usurpari credunt. Quæ opinio cum sit falsa, atque הרג etiam ad alias res referatur, ut Ps. 78, 48. יַהֲרֹג בַּבָּרָד גַּפְנָם, neque id quod sequitur בְּאֹהֶל בַּת צִיּוֹן de urbe, sed, ut Ezech. 46, 1. 1 Reg. 2, 28 de templo adhibeatur,

---

1) cfr. quæ Gesen. in Thes. pg. 351 contra Michael. disputat, et Jarchidem ad n. l.

2) Hujus opinionis defendendæ causa vix afferri potest, ut volunt, Hos. 9, 16; ibi enim non de *oculorum*, sed de *uteri* deliciis (מַחֲמַדֵּי בִטְנָם) loquitur vates.

vix dubitandum est, quin delicias oculorum *omnia ea templi ornamenta* vocet, quibus merito gloriabatur populus; id vero vi divinæ ira est combustum. Repetitur eadem sententia.

5. *Hostis factus est Dominus, perdidit Israelem, perdidit omnia ejus palatia, destruxit munitiones, auxitque filiæ Judæ mœrorem et mœstitiam.*

אַרְמְנֹת (§ 15) ex ארם altum esse; ita Basil. in Ps. 45, 9 de Græco: *βάρεις οἱ μέγιϛοι τῶν οἰκῶν λέγονται.* תַּאֲנִיָּה וַאֲנִיָּה, quæ verba quoque leguntur Es. 29, 2 (amare autem Hebræos ita verba similiter sonantia conjungere et docuit et exemplis illustravit Gesen. Lehrg. pg. 857), miro modo verterunt h. l. LXX: *Καὶ ἐπλήθυνε τῇ θυγατρὶ Ἰούδα ταπεινουμένην καὶ τεταπεινωμένην.* Vulgo *replevit in filia Juda humiliatum et humiliatam;* (plane aliter Es. 29, 2 *ἡ ἴσχυς καὶ ὁ πλοῦτός μου*). At Aquila ex Syr. Hex. *θρῆνοι καὶ θρῆνοι.*

6. *Revellit veluti horti* (sepem) *suam sepem, perdidit locum sibi sacrum, oblivioni tradidit* (?) *in Sione cœtus festivos et Sabbata; respuit iræ suæ fervore regem et sacerdotem.*

וַיַּחְמֹס כַּגַּן שֻׂכּוֹ Rectam horum verborum interpretationem jam dedit I. H. Mich. (Bibl. Hal.), quem secuti sumus; similem loquendi rationem habemus Gen. 18, 11 אֹרַח כַּנָּשִׁים pro אֹרַח כְּאֹרַח כנ׳ Ps. 40, 7

רַגְלֵי בָּאֵילוֹת pro 'ר' כְּרַגְלֵי הא[1]. שֹׂךְ, quæ vox modo hoc loco invenitur, idem esse ac מְשׂוּכָה Es. 5, 5, cum Mich., Gesen., Ros. aliis *sepem* vertentibus esse statuo. Sæpissime enim et Isr. et Christ. ecclesia comparatur cum horto Es. 1. 30. 51, 3. 58. 11, præsertim *vinea*, Es. 5. 27, 2. Am. 9, 11. Math. 20, 1. 21, 28. Marc. 12, 1. Luc. 20, 9; tales vineæ partim sepe (מְשׂוּכָה) partim muro lapideo (גָּדֵר) circumdari solebant (cfs. Harmar Beob. üb. den Orient 3 pg. 153), quæ qui destruunt, vineam perdunt. Itaque verba nostri comm. 'וַיַּחְמֹס וגו urbis excidium manu ipsius Dei, vineam suam alias tuentis, factum describunt. Hæc qui meminerit, neque lectionem turbare volet, ut Herderus, alii, pro כַּגַּן legentes כַּגֶּפֶן, quemadmodum verterunt LXX *ὡς ἄμπελον*[2]), neque ab interpretatione h. l. allata cum Capello, Calvino, Wiedenf. LXX. Vulg. שֻׂכּוֹ *tentorium seu tugurium* vertentibus, recedere[3]);

---

1) Talia *ἐλλείψεως* genera illustrarunt Lowth de sacr. poes. pg. 118—119. Gesen. Lehrg. pg. 852. Freitg. l. c. pg. 268.

2) Eos כַּגֶּפֶן *quoque legisse*, quæ communis sententia est, equidem mihi persvadere non potui; *ἄμπελος* enim loco *horti* seu *vineæ* etiam in aliis locis ab iis positum invenimus, ubi nulla Hebraic. litterarum similitudo ad id impellere potuit, ut Cant. 2, 45. Lev. 25, 3, 4.

3) *Capellus* (Crit. sacr. pg. 548): „*instar horti, tabernaculum suum* h. e. quam facile aufertur et diruitur horti tuguriolum, tam facile templum suum Deus a Chaldæis *dirui procuravit.*" Mirus sane error, *Schleusneri*, qui גן *tuguriolum* horti a Capello esse translatum opinatus, non vidit hoc verbum *tabern.* vel *tug.* ad שֻׂכּוֹ pertinere.

nam neque hæc notio potest probari et in nostra interpr. inest pulcherrima Dei, populum suum derelinquentis, pictura[1]). שִׁחֵת מוֹעֲדוֹ perdidit *conventum*, id quod h. l. magis *domum* conventus, templum significare videtur, bene illustrante Ps. 74, 8, ubi מוֹעֵד conjungitur cum מִשְׁכָּן, qui *cœtus* ipso festis diebus convenientium, ut quæ notio in proximo inest מוֹעֵד (cfr. 1. 4). שַׁבָּת וגו' Plurimorum interp. autoritates secutus verti: *oblivioni tradidit in Sione cætus festivos et Sabbata*, in quo hoc solum miror, quod, etsi destructo templo desiissent cætus cum gaudio confluentium, etiam *Sabbata oblivioni tradita esse dicit* vates; vix enim in exsilio ferias Sabb. colere omiserunt Judæi. Jtaque potius explicandum censeo: *Deus oblitus est cætuum in Sione et Sabbatorum* i. e. Deus sui fæderis oblitus est, neque recordatur, quantum ipsum festis diebus coluerint Judæi; quæ dolentis et expostulantis animi querelæ egregie conveniunt cum aliis locis, in quibus hæc eadem Deo in memoriam revocantur, Deut. 9, 27. Es. 44, 21. Jerem. 14, 21. Ps. 74, 2. 119, 49. Thren. 5. 20. Neh. 1. 8. LXX Syr. Hex. habent ἐπελάθετο. Conveniunt etiam, quæ sequuntur. זַעַם־אַפּוֹ proprie de spuma, ut monuit *Schult.* (ad Prov. 24. Orig. pg. 422), nunquam non de vehementi ira. מֶלֶךְ Jerem. 52, 10, 11. כֹּהֵן ibid. v. 24, 27.

---

1) Qui similem, eleganti ratione illam quidem expositam quærunt imaginem, in quo Dei gubernatio ecclesiæ repræsentatur, eos legere jubebo librum *Mynsteri*, qui inscribitur: „Kleine theol. Schriften. Kop. 1825 pag. 405 sq.", etsi non idem, ac noster vates, sibi proposuit V. D.

Abominatus est Deus altare suum, exsecratus sanctuarium suum, hostium manibus tradidit muros palatiorum suorum[1]); *in domo Jehovæ, velut festis diebus, voces sustulerunt* (hostes). 7.

Templum ab idolorum cultoribus jam pridem deturpatum ipse Deus fastidivit, נֵאֵר non nisi h. l. et Ps. 89, 40, ubi lucem accipit ex חִלֵּל, respuit, *rejecit*, LXX h. l. ἀπετίναξε, Ps. ἐβεβήλωσας. Sed Aquila et Vulg. *maledicere*, quod significantius est; cognata enim vox נאר cum ארר. Hanc templi, sanctitatis divinæ sedis, rejectionem elegantius describit nihil, quam quod in eo loco, ubi pia carmina canentium voces antea audiebantur, jam debacchantur protervi hostium de victoria exsultantium clamores. Rectissime *Calmet*: „Cette composition," inquit, „fait ici un effet admirable."

Decrevit Jehova murum filiæ Sionis excidere, extendit funiculum, non manum a perdendo remisit, lugent antemurale et pariter muri collabentes. 8.

נָטָה קָו *extendit funiculum;* loquendi formam illustrat 2 Reg. 21, 13: *extendam super Hieros. funicu-*

---

1) E conject. *I. D. Mich.* legend. אַרְמְנוֹת יָהּ (O. B. 19, pag. 134); qui textus lectionem retinent, ut *Rosenm.*, *Pareau*, femin. suffix. ad puellam Hieros. pertinere dicunt. Versiones quidem ad Hieros. retulerunt.

lum Samariæ[1]) i. e. delebo Hieros. ut delevi Samariam cfr. Es. 34, 11. Exech. 47, 3; huc referunt nonn. interpretes גוֹי קַו Es. 18, 2; „welches die Messschnur der Zerstörung über die Völker zieht" (Gesen. ad Es. pg. 583 Böttcher l. c. pg. 170). Nam non ea solum, quæ ædificanda (Zach. 1, 16), sed etiam quæ destruenda essent, funiculo emensi sunt veteres. לֹא הֵשִׁיב יָדוֹ cfr. 2, 3. מִבַּלֵּעַ cfr. v. 2, et de versione LXX § 15. וַיַּאֲבֶל *lugent*; eleganti προςωποποιΐᾳ, Hebr. poetis haud infrequenti, inanimatæ res vastationem *lugere* dicuntur (cfr. 1, 4.); similiter Æneid. 6, 441: *lugentes campi.* חֵיל seu חֵל, de quo cum alii disputarunt (Light. Opp. 1, 591. 2, 191; Mich. Suppl. pg. 735) tum *Faber* (Archæol. pg. 288), non tantum *pomœrium* esse dicimus (ut Aben Esra h. l. הוא מקום סביב חומה), sed partem quoque ipsius munitionis i. e. *antemurale*, seu, ut *Jarchides* בר שורה i. e. filius muri, murus minor; nam quod *Kimchio*, Cocceio, Mich., Breitingero, aliis placuisse video, חֵיל significare *fossas profundas*, id ideo mihi quidem veri simile non videtur, quia antiquorum hominum urbes non ita munitæ esse solebant[2]). אֻמְלַל propr.

---

[1]) Aliam sententiam eamque novam proposuit S. V. *R. Möller*, Episc. Laal., cujus viri magna sunt inter nostros homines de V. T. merita, in versione Danica librorum poetic. et prophet. Is enim „funiculum extensum esse, ut crimini æquipararent poenæ, voluit: „for nöie at bestemme Straffen efter Forbrydelsen." Vereor ut recte.

[2]) In tot locis s. c, in quibus de munitionibus Hieros. loquuntur scriptores sancti, nulla fossarum fit mentio; nam

langvescere, de quo verbo bene *Credner* ad Joel pg. 139: „In diesem Worte liegt das sehnliche Verlangen nach etwas fehlendem ausgedruckt," non nisi in poetica oratione occurrit. *Gesen.* (Thes. pg. 109) et Ewald. (Gr. § 256) ex אמל [1]) ducunt; ille Arab. אמל *sperandi notionem* habere docet: „qui autem spe ac desiderio conficiuntur, langvent et tabefiunt." Habet aliquid duri in se hæc derivandi ratio, neque facilius est, quod præbent *Schultens* (Orig. pg. 203) et *Mich.* (Suppl. pg. 97) eosque secutus *Börmel*, originem hujus voces deducendam esse ex מלל Ar. *aduri*; LXX ἠςθένησε.

9. *Demersæ sunt in terram portæ ejus, diruit et fregit repagula ejus, rex et principes inter gentes sunt, quibus nulla est revelatio(?), etiam prophetæ ejus visiones a Deo non accipiunt.*

טָבְעוּ *demersæ sunt in terram portæ ejus* i. e. muris cadentibus ita pulvere et cæmento obrutæ sunt portæ, ut pæne in terra demersæ esse videantur. בְּרִיחַ *repagulum* seu, ut optime explicavit *Gesen.* (Thes. pg. 240): „lignum transversum, quo ab uno latere ad al- „terum per annulos trajecto singuli in tentorio sacro „asseres conjungebantur; dictum est a transeundo (ברח), „ut lat. transtrum quasi transitrum. Deinde *repagulum* „*portæ claudendæ.* Memorantur partim lignea Nah. 3,

---

חָרוּץ non nomen esse fossæ, quæ urbi circumjecta esset Dan. 9, 25, agnoverunt jam veteres.

[1]) Gesenius formam pro מְאֻלָּל, Ewald. ad similitudinem חֲמַרְמַר geminatam esse censet.

„13; partim ænea 1 Reg. 4, 13, et ferrea Ps. 107, 16."
In sequentibus וְשָׂרֶיהָ בַגּוֹיִם אֵין תּוֹרָה vehementer abhorreo ab opinionibus vulgo receptis. *Grotius:* „rex ejus et principes in gentibus sine lege i. e. amisso jure *αὐτονομίας,* utendi propriis legibus," quam interp. neque lingvæ neque orationis admittunt rationes. *Calmet* cum plerisque: „on ne peut plus observer la plupart *des lois cérémonielles.*" *Wiedenfeld:* „erloschen das Gesetz." Quomodo lex exstincta esse dicatur, non omnis in exsilio illa quidem neglecta, non video. Gatacker, I. H. Mich., Calv., Mendels., Ros. „*non est, qui eos doceat legem;*" defendere etsi potest hanc interp. 2 Chr. 15, 3, vix tamen opinor, in præsenti miseria neminem fuisse, qui legem doceret, deplorasse vatem; atque, cum Levitæ et ipsi in captivitatem abducerentur, horum memoria vix excidisset. Quæ cum ita sint, אֵין תּוֹרָה arte cum בַגּוֹיִם conjungenda censeo: *ad gentes absque lege* i. e. quibus divina nulla erat revelatio, ethnicos, simili verborum consecutione ac Thr. 4, 4 יְתוֹמִים—אֵין אָב — *orbi facti sumus, absque parente,* Ps. 88, 5 כְּגֶבֶר אֵין אֱיָל *veluti homo sine viribus,* cui non sunt vires; תּוֹרָה autem maxime adhiberi de lege divinitus tradita, probari non opus est. Deplorat igitur vates urbem non solum esse dirutam et vastatam, populumque in captivitatem esse abductum, sed eum ad gentes lege divina destitutas, id quod maxime detestandum Judæo, etiam esse abstractum. Hunc sensum esse confirmant tum ea, quæ sequuntur גַּם־נְבִיאֶיהָ וגו׳, tum similes querelæ Ps. 74, 9, Ezech. 7, 26, Mich. 3, 6, tum quia ethnici in s. cod. eo ipso designari solent, quod scientia divinitus patefacta carent, Jerem. 10, 25, Ps. 79, 6. 147, 20.

Neque vero hæ de *prophetis* querimoniæ ita sunt urgendæ, ut vaticinandi spiritum post exsilium omnino evanuisse credamus, cui rerum historia repugnat: „nondum enim populo repudii libellum dederat," ideoque exsulibus etiam prophetas concessit, instructioni et solatio futuros (Witsii Miscell. sacr. 1 pg. 242). At animus commotus, dolore correptus, calamitatem suam exaggerat.

Sedent humi silentes senes filiæ Sionis, 10. *capita pulvere conspersi, saccis induti, capita ad terram demittunt virgines Hierosolymæ.*

Luctus, qualem præbet Orientalium mos, hic vidimus descriptionem. Lugentes enim capita *pulvere* Jos. 7, 6. 1 Sam. 4, 12. 2 Sam. 1, 2. 2 Sam. 15, 32. Hiob 2, 12. Ezech. 27, 30 et *cinere* Jerem. 6, 26. Thr. 3, 16 conspergunt[1]), cæsariem vel barbam tondent Lev. 19, 28. Hiob 1, 20, saccis induti[2]) Gen. 37, 34. 2 Sam. 3, 31. Es. 3, 24. 15, 3, se ipsos lacerant Lev. 19, 28. 21, 5. Deut. 14. 1. Jerem. 16, 6. 47, 5;[3]) discal-

---

[1]) cfr. Iliad. 18, 23 seq. 24, 161 seq. Od. 14, 314.

[2]) שַׂק erat tunica villosa, ex hircorum sive caprarum pilis, subinde etiam nigra, texta, arta et talaris, sine manicis, interdum ipsi corpori adstricta 1 Reg. 21, 27. Hiob 16, 15, qua etiam prophetæ (et Monachi et Ascetæ Dan. 9, 5. Judith 9, 6.) utebantur Es. 20, 2. Matth. 3, 4. Apud Romanos *ciliciorum* nomine insignita fuit hæc vestis (idque nostro loco Vulg. *ciliciis accincti*), quod respexit Virg. Georg. 3, 311. cfr. *Alcem. Avian.* de Ninivitis (4, 380): „Mollibus abjectis *cilicum* dant tegmina setæ."

[3]) Legibus Deut. et Levit. ll. quamvis vetantibus, tamen a Barbaris illatus hic mos, ut ex narratis cernimus, in-

ceati 2 Sam. 15, 30, dissutis vestibus Gen. 37, 29. Hiob 1, 20. 2 Sam. 1, 11, in pulvere se convolvebant Jerem. 6, 26, femora percutientes Jerem. 31, 19. Ezech. 21, 12.[1]) Acrius depingitur mæstititia lugentium *silentio* cfr. Hiob 2, 13. Ezech. 24, 17 præclaramque *Livii* narrationem de Romanorum post Caudinam cladem silentio 9, 6.

11. *Consumti sunt præ lacrimis oculi mei, fervent viscera, effusum ad terram iecur ob filiæ populi mei interitum, cum viribus deficiant parvuli et lactentes in urbis plateis.*

כָּלוּ *consumti sunt* i. e. tabescunt. נִשְׁפַּךְ לָאָרֶץ כְּבֵדִי *effusum est ad terram iecur meum*, quæ verba summam tristitiam indicantia præter nostrum locum non leguntur; Gesen.: „meine Leber (mein Herz) ist tödtlich verwundet, so dass sich das Blut daraus zur Erde ergiesst, metaph. f. das äusserste Herzeleid" (Lex. 1 pg. 842). Comparari potest Hiob. 16, 13 יִשְׁפֹּךְ לָאָרֶץ מְרֵרָתִי *effundet ad terram fel meum*. Etiam Græcis Lati-

---

valuit cfr. *Lucanum* περὶ πένθους (1, 767). Etiam Leg. XII Tab. vetitum erat: „mulieres genas ne radunto" cfr. Cic. de legg. 2, 23.

1) Utrum *nudo* an *obtecto capite* lugerent, de eo adhuc sub judice lis est ob incertam verborum Lev. 10, 6. רָאשֵׁיכֶם אַל־תִּפְרָעוּ (21, 6) vim; prius Kimchi, Wiedenfeld, LXX, alii statuerunt, cfr. Dougthæi Anal. Sacra edit. secund. Amstel. 1694. pg. 274 seq. Carpzow. App. Bibl. pg. 648. Optime vero lugentium mores descripsit *Geier* de luctu Hebræorum (Opp. 1680 fol. Tom. 2).

nisque *iecur* sedes est libidinum, iræ et tristitiæ, ita Hor. Epist. 1, 18. 72: ne ancilla vulneret-*iecur*. LXX legisse כְּבֵדִי supra monuimus (§ 15). שֶׁבֶר de interitu; frequens apud nostrum 3, 48, Jerem. 8, 21. 14, 17. בֵּעָטֵף pr. בְּהֵעָטֵף, cum deficiant, langvescant; עָטַף pr. obnubilare, obtegere, etiam passive, inde nocte obtegi, langvescere cfr. Ps. 61, 3. 102, 1. Es. 57, 16. *Ligandi* verba *vim*, *obtegendi infirmitatem* significant (Boch. Hieroz. 1, 514; v. Bohlen Genes. pg. 300).

Matribus dicunt: ubi est panis et vinum? quum quasi vulnerati in plateis urbis exanimentur animamque in sinu matrum exhalent. 12.

אַיֵּה דָּגָן Recte Wiedenf. „die hier eingewebte naive „Frage der schuldlosen Kindlein selbst hebt das Rüh- „rende dieses Trauergemäldes auf eine schmelzende „und tiefergreifende Weise;“ pro חֵיק Syr. Hex. ܟܦܢܐ *famelicus*, sed rectius edidit Middeld. ܟܢܦܐ fimbria; habent enim LXX κόλπον. De כֶּחָלָל vide ad 4, 9.

Quid te contester, cui te comparem, filia Hierosolymæ, ut te consoler, virgo, Sionis filia; nam magnus, maris instar, est interitus tuus, quis te sanabit? 13.

אֲעוּדֵךְ, cujus formæ loco Massorethæ habent אֲעִידֵךְ, quia præter hunc locum Kal non legitur, eadem sign. ac *obtestari*, *graviter monere* dictum esse apparet, neque hac notione excluditur optima *Calvini* interpretatio: „quorsum tibi testes adducam, qui se aliquid simile vidisse referent.“ Id quoque indicant, quæ sequuntur: מָה אֲשַׁוֶּה־לָּךְ, *quid tecum conferam*; est

enim aliquod solamen socios habuisse miseriæ, quare, si quem dolorem lenire cupimus, communem hanc malorum esse condicionem mortalibus significamus. Hæc itaque indicat vates, ejusmodi solatia in Hierosolymam non convenire, ut cujus mala omnibus superentur. כִּי־גָדוֹל־שִׁבְרֵךְ rectissime explic. Calmet: „*Un océan de maux, un déluge de douleurs, une mer d'afflictions. Ces manières de parler expriment bien ce qu'on veut dire. Une explication ne feroit que les affaibler.*" Quod cum non intelligeret *Mich.*, neque reminisceretur, magnitudinis simile etiam aliis locis a *mari* peti Es. 11, 9. Hab. 2, 14, *vulnusque* (שֶׁבֶר? cfr. 2, 11) instar maris a rei natura abesse moneret, lectionem turbare conatus, pro כַּיָּם legere maluit כִּיֹּם codice 141 Kenn. assentiente, qui habet כיום (Orient. Bibl. 19, 135). At unius et quidem vilis cod. autoritas quid prodest? Melius videri potest scriptura LXX *ποτήριον συντριβῆς... ἐμεγαλύνθη* pro כַּיָּם legentium כּוֹס; frequentissima enim divinæ iræ in populos effusæ imago ex *calice* petitur (cfr. 4, 21), itaque Syr. Hex. Ar. Sed cum Symm. Vulg. כַּיָּם legerint, optimusque ex hac voce, id quod paulo ante ostendimus, eruatur sensus, in scriptura vulgata manemus. Chald. *magna est concussio velut fluctuum fractio tempore tempestatis.*

14. *Prophetæ tui falsa, adulantia tibi viderunt, neque peccata tibi retexerunt, quo ex exsilio posses reverti, oracula vana, expulsiones tibi ediderunt.*

In hoc versu explicando longiores erimus, in tanta interpretum dissensione, nostram defensuri sententiam.

נְבִיאַיִךְ cum quadam acerbitate dictum, *tui*, quibus fidem habuisti, tibi dilecti i. e. *falsi*, de quibus tam vehementer conquesti sunt veri prophetæ Jerem. 2, 8. 5, 31. 8, 8. 14, 13, 14. Ezech. 13, 3. 9. חָזוּ לָךְ שָׁוְא vanis vaticiniis te deceperunt. תָּפֵל proprie significare *lituram*, *calcem*, qua paries foris pulchre ornatur, cum tamen sit ruinosus (Math. 23, 27. Act. 23, 7), deinde quicquid *vana spe populum laetat*, ostendit loc. Ezech. 13, 10, ubi de iis, qui pacem promittunt, cum non sit pax: *Alius exstruit parietem*, isti vero טָחִים אֹתוֹ תָּפֵל *vana calce eum obducunt*, cfr. v. 11-15, ubi pseudophrophetis populo *adulantibus* pænas minitatur Jehova, eadem de vanis eorum vaticiniis usus imagine; clarius hoc elucet ex Ezech. 22, 28. ubi de vanis prophetis טָחוּ לָהֶם תָּפֵל et ex Jerem. 23, 13. בִּנְבִיאֵי שֹׁמְרוֹן רָאִיתִי תִפְלָה, mox additis his: וַיַּתְעוּ אֶת־ עַמִּי. Igitur non *stultitia*, sed *mala voluntas, falsæ adulationes* pseudoprophetarum his in locis corripiuntur. Oriunda est vox תָּפֵל ex תָּפַל, cujus prima signif. (Arab.) videtur esse: *spuere*, deinde *agglutinare*, gypsare, e qua bene deducitur notio *vanitatis*, *falsæ adulationis* (ut sæpe fit in verbis tegendi בגד, מעל, קבע). Ita omnia sunt plana nosterque locus facile intelligitur. At *omnes* interpretes תָּפֵל h. l. sensu transl. *insipidum*, *insulsum* esse dicunt, cujus significationis afferunt exempla Hiob 1, 22. לֹא נָתַן תִּפְלָה לֵאלֹהִים, quo in loco querelarum, murmurationis (cfr. Buxt. Lex. Chald. pg. 2620) potius, quam stultitiæ inest notio [1]), et Hiob 24, 22. ubi nescio

1) Recentissimus *Hiobi* interpres *H. Arnheim* (Das Buch Job übersetzt und vollständig commentirt. Glogau 1836.

an cum Syro legendum תִּפְלָה. Restat unus modo locus, in quo *insipidi* notio non dubia esse videtur Hiob 6, 5. הֲיֵאָכֵל תָּפֵל מִבְּלִי־מֶלַח, sed de hoc loco primum monendum, nihil certi dici posse, cum alterum ἡμιςίχιον omnino sit incertum, deinde תָּפֵל explicari addito מִבְּלִי־מֶלַח (ita Aruch. cfr. quæ ad 2, 9. diximus), denique minime a nobis negari, ex conspuendi notione *propriam* insipidi, fatui notionem posse deduci, sed *translatam stultitiæ* et non *vanitatis* significationem modo rejici. Huc accedit, quod antiqq. verss. hoc vocabulum plane ignorarunt; LXX aut *πίπτειν* (quasi ex נפל), ut Ezech. l. c., aut *ἀφροσύνην*, ut Hiob 1, 22. et h. l., aut *ἄρτος*, ut Hiob 6, 5. verterunt. Jarchides בל״ע״ז i. e. Gallice dici אפלשטרימנט, quod „*plastrement* seu *emplastrement*“ explicandum censeo. plastrer (plâtrer) est gypso obducere. וְלֹא גִלּוּ עַל *neque retexerunt* (tegumentum, quod erat super) *peccato tuo* cfr. 4, 22: „Est ellipsis in hac locutione et suppl. לֹא גִלּוּ אֶת־אֲשֶׁר עַל, cfr. de hoc עַל usu, quo vesti designandæ inservit Hiob. 24, 9 עַל־עָנִי יַחְבֹּלוּ „*vestem miseri pro pignore auferunt*“ Gesen. (Thes. pg. 284). — לְהָשִׁיב שְׁבִיתֵךְ Vatabl., Mich., Dathe, Wied. alii: „*ut averterent captivitatem tuam*,“

pg. 7): „Nach der Vorstellungsweise der Bibel, nach der „Sünde und Thorheit zusammenfallen, muss allerdings „jeder murrende Laut gegen Gott abgeschmackt, unge-„reimt erscheinen;“ equidem verterim, „*neque Deo vanitatem attribuit*, se a Deo, etsi malis pressum deseri non credidit; nam quanam alia re חטא לא? De Hiob 24, 12. vellem legeretur *Codurcus* (Crit. sacr. Tom. 2, pg. 749), cujus explicationem loci difficilis a recentioribus esse derelictum doleo.

quod præstare potuissent, si fideliter monuissent. Res vera, interp. falsa videtur; nam ex infinitis locis, in quibus exstat שָׁב שְׁבוּת (modo afferam Ps. 14, 7. Jer. 32, 44. 33, 11. 49, 6, 39), *nullus* afferri potest, in quo unquam hæc verba indicent: *captivitatem avertere*, semper *captivos reducere*. Neque ut captivitas præsens averteretur, sed ut jam captivi reducerentur, severa *jam* opus erat admonitione, ne populus vanis promissis corrumperetur. Hoc quoque voluisse videntur *Vulg. Chald.* „*ut populum ad pœnitentiam provocarent.*" Apte hæc interp. cohæret cum seq., in quibus tamen valde dissentitur. מַשָּׂא, quod *recentiorum* plerique: *effatum*, *oraculum* verterunt (Gesen. ad Es. 13. Vitring. ad Es. 13. Aurivill. dissert. pg. 560. Mich. Suppl. pg. 1685. Glass. edit. Dathe pg. 865), cum inter antiquos Jonat., Aquil., Syr., Hieron., Calvin. alii, *onera* et ex hac signif. *triste oraculum* verterint, nihil nisi *effatum triste*, minarum plenum, significare posse, dilucide probavit *Hengstenberg* (Christol. 2 pg. 102—106)[1]), nostrum locum ita interpretatus: „*sie sehen dir*

---

1) Id modo desidero, quod non satis ea, quæ ex Jerem. 23, 33. Prov. 30, 1. 31, 1. nostroque l. petita contra dicuntur, diluisse mihi videtur V. D. Igitur pauca mihi addere licebit. Jerem. 23, 33 hominum petulantium ludibria aperte continebantur eo, quod minaces Dei sermones sibi non tantum nocere posse opinarentur, quantum ex vehementia minarum esset exspectandum; itaque populum falsorum sermonum oblectamentis corruperunt v. 33. „Si irridendi causa ex te quærant, quid sibi velit istud onus (triste effatum, minæ), respondebis iis *de onere* i. e. vos sane sentietis, vera futura esse, quæ

eitle Lasten und Wegführungen.“ „Schon das folgende מַדּוּחִים,“ inquit ille, „Wegführungen,Zerstreuungen“ zeigt, „dass auch das מַשְׂאוֹת sich auf die Feinde beziehen „muss. Die falschen Propheten suchten sich dadurch bei „dem Volke beliebt zu machen, dass sie ihm grosses Un- „glück weissagten, welches über seine mächtige Unter- „drücker ergehn werde. Dem מַדּוּחִים eine andere „Bedeutung zu geben, geht deshalb nicht an, weil das „Verbum נדח bei Jeremias, bei dem es häufig vorkommt „(decies quinquies legitur), immer die Bedeutung *ver-* „*treiben, zerstreuen* hat.“ Quibus in verbis vera falsis admiscuisse mihi videtur V. S.; nam si, ut ipse probavit, מַשָּׂא cum genit. object. triste effatum est *contra* aliquem, cum h. l. antecedat לָךְ, vix alio modo hoc potest intelligi, quam oraculum mala portendens ad eam pertinere gentem, quæ per לָךְ designatur, i. e. populum Judaicum; quod ni ita esset, omnia essent confusa et obscura; quis enim verbis וַיֶּחֱזוּ לָךְ מַשְׂאוֹת legendis *alias* gentes cogitaret, quarum *nulla* h. l. facta est mentio. Itaque si nexum orationis consideremus, in eo prophetarum fæditatem constitisse videbimus, quod populi Jud. peccata tantum abfuit, ut retegerent, ut blandis quoque verbis et vaticiniis foverent; hæc autem *specie blandientia oracula*, *vana*, quæ populum corruptelarum illecebris irretirent, gravi in-

---

ego tristis nuncius affero, nisi forte legendum cum LXX Vulg. אַתֶּם הַמַּשָּׂא, quo sensus ille esset clarior (cfr. cfr. Dathe Proph. pg. 707). Prov. 30, 1. 31 nulla oraculorum fit mentio, igitur huc non pertinet (nam alias significationes מַשָּׂא, si a vaticiniis recedas, nihil moramur).

dignatione motus, vates vocat מַשְּׂאוֹת *tristia effata*, populo quoque periculosiora, quam omnes Jeremiæ et Ezechielis minæ, quorum argumentum erat *vanum* (שָׁוְא), quorum finis *expulsiones, exsilium*, nisi mavis cum *Cocceio et Ges.* explicare *seductiones*[1]). Luther: „sie haben dir gepredigt lose Predigt, damit sie dich zum Land hinaus predigten." Quibus oraculorum blandimentis cum sis deceptus eorumque tristem expertus eventum, nunc ex terra expulsus es, omnium cum ludibrio; ita cohærent nostri versus verba cum iis, quæ sequuntur:

Manus de te complodunt omnes præter- 15 *euntes viam, sibilantes de filia Hieros. caput quatiunt; hæccine,* (inquiunt), *est urbs, quæ perfectæ pulchritudinis esse, quæ totius orbis terrarum voluptas dicebatur. Os suum contra* 16. *te aperiunt omnes hostes tui, dentibus frendent, sibilant, perdidimus, inquiunt, profecto hic est dies, quem exspectavimus; invenimus, vidimus.*

Egregia hostilium contumeliarum descriptio! *Manibus plaudere*, irridentium gestus Hiob 27, 23, quemadmodum ea, quæ sequuntur, *sibilare et caput movere* Ps. 22, 8. 109, 25. Hiob 16, 4. Math. 27, 30; confe-

---

1) *Michaelis* (Suppl. pg. 1473) ex Arab. מדח *laudes, encomia* i. e. deceptiones interp., quæ si vera est notio, nostra defenderet. Chald. *vaticinantur tibi vana vaticinia et verba erroris i. e.* decipientia.

rendus est de iis, qui urbis magnæ excidium irrident, Zeph. 2, 15. cfr. Sirac. 12, 18 (al. 25). כְּלִילַת יֹפִי *perfectæ pulchritudinis* videtur præcipue dictum fuisse de Hieros. Ps. 50, 2. (48, 3). Ezech. 16, 14; occurrunt hæc verba etiam de Tyro Ezech. 27, 3, 28, 12. LXX (ex Chald. Syriacaque lingva כלילא) *ςέφανος εὐφροσύνης πάσης τῆς γῆς* (omiserunt יֹפִי). פָּצָה פֶּה *os aperire*, ubi loquendi habet notionem, semper cum levitatis, nequitiæ notione Ps. 22, 14. Jud. 11, 34. 35. Hiob 35, 16. Thren. 3, 46.[1]). Præclara autem vis in *ἀσυνδέτοις* בִּלָּעְנוּ – מָצָאנוּ – רָאִינוּ; simillima sunt Exod. 15, 19: „*Dixit inimicus: persequar, apprehendam, dividam prædam.*“ Jud. 5, 27. *incurvavit se, cecidit, jacuit.* De turbato litterarum ordine vide quæ diximus § 12.

17. *Perfecit Deus, quod cogitavit, implevit verba sua, quæ antiquis temporibus præcepit, destruxit, non pepercit. Lætitia de te (suscepta) affecit hostes tuos, adversariorum tuorum cornu extulit.*

Egregie *Calvinus*: „Si tantum retulisset propheta „hostium jactantias, populus forte in suo mærore ob-

---

1) Negavit hanc odiosi alicujus in פצה פה notionem *Studer.* (d. B. der Richter pg. 294), maxime ob Ps. 66, 14, ubi de voto loquitur vates, idque ut mihi quidem videtur, injuria; eleganter enim vota calamitatibus sibi expressa indicantur. Alia vero est significatio פצה פה, quando de vescendi gestu usurpatur; hoc quoque dicendi genus in nostrum locum attulit Wiedenf., e ferarum crudelitate desumtum esse ratus. Posset defendi, nisi illud melius esset.

„duruisset. Sed nunc ex opposito suscipit diversam „personam: postquam, quam petulanter hostes sese ef„ferrent, repræsentavit, nunc dicit: *fecit Jehova quod „statuerat*, et ita ab illis hostium ludibriis populum ad „Dei judicium revocat. *Hoc igitur optimum est re„medium non habere defixos oculos in hominum pe„tulantia, sed agnoscere, quod toties scriptura ad„monet, ipsos impios esse Dei flagella, quibus nos „castigat.*" In בִּצַּע similitudinem ductam esse a textore, qui, tela absoluta, stamen resecat, bene post I. H. Michaelem statuerunt Börmel et Löwe (cfr. Gesen. ad Es. 10, 12). *Antiquis diebus* non solum per *Micham* Jerem. 26, 18. et *Huldam* 2 Chr. 34, 24, sed per Mosen etiam Lev. 26, 17. Deut. 28, 15. 16.

18. *Clamat cor eorum ad Dominum: o mœnia filiæ Hierosolymæ! effundite lacrimas die noctuque instar torrentis; ne concedas tibi remissionem, ne cesset pupilla oculi tui.*

Versum, e vehementiore animi concitatione ita effictum, turbaverunt conjecturæ interpretum. Id sibi voluit vates, ut tantam esse miseriam diceret, ut pudori non essent lacrimæ large effusæ.

חוֹמַת וגו'; hæc προςωποποιΐα plerisque audacior visa est, quam ut ferri possit, quare in varias, durasque illas quidem scripturæ mutandæ vias abierunt interpretes. [Jam Vulg. *clamavit cor eorum super muros filiæ Sion*. Syr. *clamat cor eorum ad dominum murorum*]. Non refellendis iis moremur; nam præter ea, quæ jam ad com. 8 et 1, 4 attulimus, exempla alia proponere sufficiet, in quibus similis ratio apparet, ut inanimatis

tribuantur, quæ sunt vivorum, non minore ingenii audacia ac n. l. efficta; ita Gen. 4, 10. *terra clamat*, v. 11. *aperit os suum*, Exod. 19, 18. *mons contremiscit et pavet*, Lev. 18, 15. *terra evomit incolas*, Deut. 32, 42. *Deus inebriat sagittas*, Jud. 5, 20. *de cælo pugnant stellæ*, Hiob 31, 38. *sulci terræ plorant*, Es. 24, 23. *erubescit sol et pudore afficitur luna.*[1]) Quæ cum ita sint, num quem fervens vatis ingenium ad lectionem mutandam abripiat? פּוּגָה non nisi h. l. remissio; de stat. const. usu h. l. Gesen. Lehrg. pg. 679. אַל תִּדֹּם ne sileat Hieros. ne cesset a lacrimis. בַּת עַיִן id quod alias vocatur אִישׁוֹן עַיִן seu אִישׁוֹן בַּת עַיִן *κορώσιον*, pupilla.

19. *Surge, clama nocte initio vigiliarum, effunde cor tuum velut aquas, coram Domino, attolle ad eum manus tuas pro parvulorum tuorum vita, qui in compitis viarum fame langvescunt.*

De רנן bene Aben-Esra הרמת קול בשיר או בנהי. Male LXX *ἀγαλλιάσαι;* Syr.-Hex. idem verb. Aq. *αἴνει.* Symm. magnifica loquere. Vulg. lauda. לְרֹאשׁ אַשְׁמֻרוֹת initio vigiliarum i. e. prima vigilia, qua homines altissimo jucundissimoque somno premi solent. *Veteres* Hebræos tres habuisse vigilias ראש אשמרת, א"התיכונה Jud. 7, 19, et א"הבקר Exod. 14, 24, constat (Boch. Hieroz. 2 pg. 397). Romanorum tempore quatuor inductæ erant. *Effundere cor velut aquam* i. e. vehementissime plorare

---

1) Cicero de orat. I, 57. „*Lapides* omnes coëgisset *flere* et lamentari.“ Silius Ital. 6, 285. „ulularunt flebile ripæ.“

(cfr. nostrum: græde sig Öinene ud). בְּרֹאשׁ כָּל־חוּצוֹת legitur quoque 4, 1. Es. 51, 20. Prov. 1, 21. Bene Dathe et Gesen.: *in compitis viarum*, quia ibi maxima hominum erat frequentia, neque audiendus est *Faber* (ad Harmar. 2, 49), qui רֹאשׁ h. l. plane abundare, nec aliud, nisi vias, significare contendit.

20. *Vide et aspice, Jehova, ecquem sic unquam tractaveris, num comederint mulieres partus suos*, fasciis involutos(?) [1]), *num in sanctuario Domini* (unquam) *occisus sit sacerdos et propheta.*

רְאֵה וגו׳ cfr. 1, 12. אִם־תֹּאכַלְנָה—Optime Vulg. *Ergone comedent*—lamentandi vox est, quasi diceret: „num parvum est, quod" (Schroeder l. c. 261) vel: „adeone rem pervenisse, ut" (Glass. pg. 1368). De re ipsa horribili videas § 7 et not. p. 26. — פִּרְיָם pro פִּרְיָן, ut Jud. 21, 22. Ruth 1, 8. Ezech. 13, 20. etc. עֹלְלֵי טִפֻּחִים Gesen. et Maurer: *parvuli gestationis in palmis*, i. e. quos in ulnis gestant. Itaque טִפֻּחִים, quod modo h. l. invenitur, vertunt *gestationem* ex טֶפַח palma. Hoc mihi justo durius videri profiteor, cum טפח (cfr. v. 22) non *gestare*, sed *expandere* significet, ut Es. 48, 13; inde מִטְפַּחַת *vestis ampla* (mulierum), palla. *Böttcher* (l. c. pg. 12) id verbum vertit: „hätscheln und tätscheln;" eadem ratione jam ante eum *Boisen* (Beiträge 1, 242): „טִפֻּחִים ein weiches sanftes Berühren mit der flachen Hand," et Vitringa. עֹלְלֵי טִפֻּחִים: „Kinder, die sanft mit der flachen Hand berührt, bestreichelt sind." Hæc

1) i. e. acri diligentia curatos.

meliora sunt. Verum enim vero id, quod rectum est, vidisse mihi h. l. unus Chald. videtur, vertens: דַהֲוֹו מְלַפְּפִין בְסִידִינִין, qui *sindonibus sunt involuti*[1]). E notione טפח expandendi facile in *involvendi* notionem transiri posse apparet, atque ita *Kimchi* h. verbum in libro radic. intellexisse mihi videtur, cujus viri explicationem latine versum reddidit *Gesen*. (Thes. pg. 553); verba, quæ ita sonant, non attulit: אמר טפחתי בענין גידול הנערים כי כן עשין לתינוק שמטפחין אותו ומישרין אבריו בכל עת כשמחתלין אותו וכן השם ממנו עֹלְלֵי טִפֻּחִים כלומר עללים שיטפחו אותם בעודם קטנים ויתעסקו בגידולם i. e. *dixit* טִפַּחְתִּי v. 22. (ut nos quidem vertimus) *sensu pueros fasciis involvendi, nam ita facere solent infanti, ut eum stringant membraque dirigant, quotiescunque eum fasciis ligant; atque ita vox inde deducta* עֹלְלֵי טִפֻּחִים, *quasi diceret quos stringant, dum adhuc parvi sunt, quibus in ligandis laborant*.“ גידול *educandi* notionem habere *posse*, non dubitamus quidem, sed quanquam ita verterunt h. l. *Gesen*. et *Sanct. Paganinus* (Thes. lingv. sanct. edit. R. Steph. 1548), tamen *educandi* vis vix cum reliqua conjungi potest descriptione; itaque nescio, an magis apta sit: *fasciis involvere*, deinde eum curare; certe et גדל apud Talmud. est *implicare* et גְּדִילָה *filum* et גדיל *mappa* (cfr. Buxt. Lex. Talm.); hæc omnia nostrum illustrant sententiam cfr. v. 22. טפח Pagan. metiuntur. Apud LXX omnia perturbata: ἐπιφυλλίδα

---

1) *Chaldaica* ex lingva non excidisse notionem *involvendi* a verbo טפח ostendit Subst. מִטְפַּחַת, in hanc lingvam receptum idque maxime de linteis, quibus *involvere* solent libros legis (מטפחות ספרים), adhibitum.

ἐποίησε μάγειρος, φονευθήσονται νήπια θηλάζοντα μαζούς, quæ verba vix recte explicavit *Schleusner* (cur. pg. 25). Vulgat. *parvulos ad mensuram palmæ* (ex טִפַּח, itaque Syr.-Hex. σπιθαμῆς), quam interpretationem *Calmet.* naturæ rei maxime convenire ait; videri enim in proverbium abiisse palmæ nomen, quo res parvæ brevesque indicarentur. Ps. 38, 6. Es. 48, 13.

Humi jacent in plateis juvenes senesque, 21. *virgines adolescentesque mei gladio interfecti sunt. Occidisti eos die iræ, mactasti, non pepercisti.*

Convocasti quasi ad diem solemnem, qui 22. *undique me terrerent, neque erat die iræ Jehovæ, qui effugeret aut evaderet, quos fasciis involvi* (fovi) *et educavi, eos consumsit hostis meus.*

תִּקְרָא h. l. præsentis temporis notione [1]). מְגוּרַי מִסָּבִיב terrores meos undique i. e. qui me undique terrerent. מָגוֹר מִסָּבִיב frequenter apud Jeremiam 6, 25. 20, 3. 10. 46, 5. 49, 29. Imagine, cujus supra 1, 15 mentionem fecimus, terrores, quemadmodum multi mortales ad dies festos celebrandos Hieros. vocabantur, ita hi quoque a Deo Hierosolymam quasi invitati dicuntur. Miro modo LXX ὡς ἐπεκράτησα καὶ ἐπλήθυνα ἐχθρούς μου πάντας.

---

1) *Ewald*, qui etsi justo intricatius, ingeniose tamen temporum rationem enodavit, non, ut vulgo ferunt, *futurum*, sed imperfectum hoc tempus vocandum esse statuit, usum hunc § 264 quoque explicans.

Cap. III.

Cujusnam sint in hoc capite querimoniæ, de eo dictum est § 14; conferri debet totus pæne Jeremiæ liber, ex quo, quanta perpessus sit mala, edocemur.[1])

1-3. *Ego vir sum, (qui) vidi mala, per virgam iræ ejus me duxit et incedere fecit per tenebras, profecto in me iterum iterumque convertit manum suam toto die.*

Similes Jeremiæ querelas 15, 10 sq. 20, 8. *Virga iræ* frequentissima pænarum imago Hiob 9, 34. 21, 9. Ps. 89, 33. Es. 30, 31. Jerem. 48, 17. cfr. בְּשֵׁבֶט אֲנָשִׁים virga hominum 2 Sam. 7, 14 i. e. poenæ, quales homines de aliis repetunt (רָאָה pro רָאִיתִי; de quo Gesen. Lehrg. 742-3. 802). In *nomine Jehovæ omisso* aliquid venustatis quærunt: „aus heiligem Zartgefühl gegen Gott verschweigt er dessen Namen." אַךְ plerique: *tantummodo*, quod Joel Löwe explicat: „so ununterbrochen sind meine Leiden, als hätte er *mich allein* zum

1) Multa quoque attulit *Hitzigius* in libro: „Die Psalmen. Heidelb. 1835—36. 1 pg. 48—85;" nuperrime in manus meas venit egregius hic liber.

Gegenstande seiner Wuth gewählt." Minimc hoc mihi placet. Melius videtur: *utique, profecto* — ישב יהפך reddimus: iterum iterumque convertit, assentiente *Mich.* (not. ub.) et Gesen. (Lex ed. nov. 2. pg. 667) et Rosenm.

Senio attrivit carnem cutemque meam, ossa mea confregit, circum me ædificavit, felle et labore me circumdedit; in tenebrosis locis me collocavit, ut dudum mortuos. 4-6.

Vers. 5 multis vexatus est dubitationibus. בנה עלי alii: *munitiones contra me exstruxit* i. e. urbem operibus cinxit, ut exire non possem. Vix hanc sententiam Rosenmülleri ita expressisset vates; de se ipso loqui eum, planum est; igitur aut ad *carcerem angustum* hæc sunt referenda verba, aut, id quod *Calvino* quoque placuisse video, figurata oratione: Deus me circumcirca tenet constrictum [1]), ut jam nullum effugium pateat, quæ ulterior explicatio bene cohæret cum sequentibus: ויקף ראש ותלאה, quæ vix quisquam melius reddidit *Vulgato*, quem nos secuti sumus. ויקף ex נקף circumdare; bene comparatur Hiob 19, 6 מצודו עלי הקיף.—ראש *venenum* significare sive ex animalibus sive ex herbis confectum, e multis, ubi hoc nomen invenitur, locis constat; quale fuerit definiri nequit. Alii *Colocinthum,* alii *lolium temulentum,* alii *cicutam* intelligi voluerunt [2]); conjungitur

---

1) Bene Gesen. locum Hiob 13, 27. על שרשי רגלי תתחקה, quæ verba vertit „*um meine Füsse hackst du einen Graben*" um mir den Weg abzuschneiden—illustravit 3, 7; eadem ad nostrum quoque locum illustrandum valere, apparet.

2) Oedmanns vermischte Sammlung IV. 83. Michael. Fragen. pg. 145. Suppl. 2301, Celsii Hierob. 2, 40, Wineri Reall. pg. 501.

sæpissime cum לַעֲנָה; igitur h. l. transl. *de quavis ærumna et molestia* cfr. v. 19 (quemadmodum Latini adhibent: *fel*), cfr. Jerem. 8, 14 וַיַּשְׁקֵנוּ מֵי רֹאשׁ 9, 14. 23, 15. תְּלָאָה (ex לאה) *labores*. Contra hanc, quæ facillima est, interpretationem, modo translatum dicendi genus bene perspiciatur, monuit *Schultensius* (Orig. pg. 156), si hæc esset admittenda, legi oportere וַיַּקִּפֵנִי, deinde sententiam sibi non arridere, ut quæ ab *ædificio* et circumvallatione sit orta, cui non conveniant herbæ. ראשׁ igitur *caput*, נָקַף caput perfringere, et תְּלָאָה pr. lassitudinem, absolute dictum voluit V. C., vertens: *et comminuit caput et fessus procumbo.* Schult. secutus est *Datke*, quanquam a vero certe aberrantem; nam quod dixit ויקפני scribendum fuisse, id plane non necessarium est, quoniam facile ex עָלַי repetitur pron. ; deinde si etiam נקף significet, id quod modo professus est, non probavit V. C. „caput perfringere, ut cerebra dispergant viam," vix in nostrum cadat locum; admodum durus est absolutus, ut ajunt, verbi תְּלָאָה usus. Nostrum sensum (nisi quod pro תלאה legi mavult לענה audacissime) *Börmel* defensurus affert Hab. 2, 16 תִּסּוֹב עָלֶיךָ כּוֹס יְמִין יְהוָה, quem locum vix intellexit; nam ibi sensus est: *calix potestatis Jehovæ* (ab aliis gentibus) *ad te se convertet* i. e. quoque eadem poena divina inebriaberis (afficieris). Apud LXX admodum sunt perturbata: ἐκύκλωσε κεφαλήν μου καὶ ἐμόχθησεν, unde eos תְּלָאָה s. יִלְאָה legisse apparet, suo assensu id approbante *Herdero* (Præf. ad Börmel. pg. 28—30). Symm. χολῇ καὶ μόχθῳ. Chald. *respuit capita populi eosque fatigavit.* Verba הוֹשִׁיבַנִי–עוֹלָם leguntur etiam

Ps. 143, 3. מֵתֵי עוֹלָם, bene explicantur Ps. 88, 6. שֹׁכְבֵי קֶבֶר אֲשֶׁר לֹא זְכַרְתָּם עוֹד. בְּמַחֲשַׁכִּים, non ut vult Gesen. de *orci* (respondet enim נִגָּשׁוּ דַכָּא לָאָרֶץ) sed de miseriæ, carceris tenebris.

Obstruxit me, ut exire non possem, graves fecit compedes meos; etiamsi clamem et vociferer, preces meas obturavit, lapidibus cæsis vias meas conclusit, semitas meas contortas fecit. 7-9.

Describit vates se sæpe in vincula conjectum Jer. 20, 2. 32, 2. 37, 13. imp. 38, 6, qua in re hoc modo monemus, *lege Mosaica* non inductos fuisse carceres (Mich. M. R. § 238), neque postea homines judicio damnatos in vincula conjectos esse, sed eos modo, quos libido dominantium hoc poenæ genere afficere vellet. Antiquissimum carcerum genus in cisternis (Gen. 37) postea non evanuit (Jerem. 38, 6), quo alii accedebant in *cameris subterraneis* Jerem. 37, 16, in domibus eorum, qui militibus præessent (בֵּית הָאֵסוּר), et ad urbium portas Jerem. 20, 2. Subterraneum talem h. l. describi carcerem apparet eumque profundissimum. גָּדַר בַּעֲדִי Optime Lutherus: „er hat mich vermauert" cfr. Hiob 19, 8. Hos. 2, 8, neque hoc cum Noldio (pg. 931) aliis de obsidione, sed de carceris angustiis. שָׂתַם תְּפִלָּתִי *obturavit preces* i. e. aures suas, ne audirent preces cfr. v. 44. שׂתם=סתם præter nostrum locum non legitur. גָּדַר — בְּגָזִית *lapidibus cæsis s. quadris obstruxit vias meas*, non proprie, sed translate ut Tarnov. censuit, de impedimentis, quæ vix superari possunt; hoc ita esse ostendunt, quæ sequuntur נְתִיבוֹתַי עִוָּה neque:

„*pervertit vias meas*“ neque „subvertit,“ ut vult Gesen. (er rodet sie auf), sed *contortas facit* i. e. per tot ambages viarum me duxit, ut exitum invenire non possem. Ita Hiob 19, 8 עַל נְתִיבוֹתַי חֹשֶׁךְ יָשִׂים cfr. סוֹרֵר v. 11.

10-12. ***Ursus insidians exstitit mihi, leo in latibulis; vias meas perplexas fecit, dilaceravit me, planeque direptum reddidit. Tetendit arcum suum, meque sagittarum scopum posuit.***

Quæ nostros sensus valde lædunt similitudines *a feris* in Deum collatæ, eæ apud Orientales frequentissimæ sunt (cfr. Harmar. 2, 181. Boch. 1, 767) Hiob 10, 16. Es. 28, 13. Hos. 5, 14. 13, 7. *Ursorum* vero magna in Palæstina multitudo est, quorum timetur et versutia et ferocitas (Boch. l. c. pg. 806 sq.), cum in leone maxime eluceat generositas et violentia (cfr. Knobel das Buch Kohelet. Leipz. 1836. pg. 293). סוֹרֵר cum Gesen. aliisque ex סור derivo; alii, ut Schult. eumque sequens Dathe ex סרר rebellis, contumax, „via vero contumax ex idiotismo orientali est via, qua exitus non invenitur, impenetrabilis, difficilis“ [1]). פִּשַּׁח præter nostrum locum non occurrit: *dilacerare*, ita Kimchi in libr. R. שסע ובקע, itaque vertit Targ. שסף 1 Sam. 15,

---

1) Nescio an plane rejicienda sit interp. Jarchidæ: דרכי סורר לשון סירים קוצים — — מפזר קוצים בדרכי i. e. ד"וס *significat* סירין i. e. *spinas* (קוצים) — *spargit spinas in vias meas*. Origo enim vocis סִירִים omnino incerta est; *spinarum* vero nomen ad vastationem significandam frequens Es. 5, 6 32, 13. 34, 13. Hos. 10, 8.

33.—שׁוֹמֵם שַׂמַנִי Dathe: *reddidit me attonitum*, etiam h. l. שׁמם de hominibus, ut nostro placét. מַטָּרָא pro מַטָּרָה, quod nonnulli tamen codices habent apud de Rossi. Versiones sunt admodum variæ et a sensu aberrantes. LXX pro דְּרָכַי וגו׳ *κατεδίωξεν ἀφεστηκότα καὶ κατέπαυσέ με*. Miro modo Aquil. ex Hex. פשח „me claudum fecit" פשח cum פָּסַח permutans.

Impegit in renes meos sagittas suas; omni populo meo ludibrio factus sum, toto die fabula eorum. Amaris herbis me satiavit, absinthio me inebriavit. 13-15.

בְּנֵי אַשְׁפָּתוֹ *filios pharetræ suæ* i. e. sagittas, ut Hiob 41, 20 בְּנֵי קֶשֶׁת (cfr. Ges. Thes. pg. 217). Ita Horat. *pharetra, gravida sagittis*. LXX *ἰοὺς φαρέτρας*, quod Schleusn. pro *υἱούς* scriptum esse credit (Spicil. pg. 62), ita ut illa lit. *υ* vel sit omissa ob antecedentem *μου* (e continua scriptione) vel *ἰοὺς* e-margine in textum recepta. Syr. Hex. Ar. legerunt illud בְּנֵי; Symm. tamen *τοὺς ἐκ.* שְׂחֹק, quanto essent ludibrio mala populo minantes vates, constat Jerem. 20, 7. Es. 28, 10. Ezech. 12, 22; non igitur dubitari oportet לְכָל-עַמִּי vertendum esse: *toto populo meo*, neque nos movere debet autoritas aut veterum Gram., qui tres locos esse docent, in quibus plur. num. exitus verbi עַמִּי sit in ִי pro ִים cfr. *Gesen.* Lehrg. pg. 525, qui tamen nihil certi definit, *Ewald.* 359, plur. statuentem [1]), cum ad-

---

1) Quam parum *certum* est, quod ait V. C. Ew. „*Sicher* gehört dahin nur עַמִּי 2 Sam. 22, 44, wiederholt Ps. 144, 2. Thr. 3, 14." Nescio an verissimum sit, quod dixit Börmel: „allem Volke; das ִי ist hier paragogisch."

modum dubia sit hæc pluralis forma, aut eorum codicum qui עַמִּים legunt, e correctione quadam ortum eorum, qui de suis malis non vatem, sed populum queri opinarentur, neque e plurali suffixo נְגִינָתָם collectivo, ut aiunt, vocabulo adjuncto elici posse quidquam apparet. Huc accedit, id quod suo jure monet Maurer, quod כָּל, ubi sequitur nomen suffixo definitum, rectissime redditur *totus*, ut in ipso illo כָּל־עַמִּי Gen. 41, 40. נְגִינָה *cantilena* in ludibrium composita, fabula; hoc profecto memoria dignum est, non apud Hebræos solum, Hiob 30, 9. Ps. 69, 13, sed apud omnes veteres populos carmina ejusmodi famosa ad antiquissimum poeseos genus pertinere; jam Tab. XII Romæ vetita. מְרֹרִים *herbæ amaræ*, ut לַעֲנָה *absinthium* sæpe a poetis Orientalibus ad mala, quæ quis patitur, describenda adhibentur, Jer. 9, 14. 23, 15. Job. 9, 18. (ubi eadem ac h. l. leguntur), quia *veneni* instar ob aëris temperiem corpora istis in terris afficiunt. Simil. Iliad. XVI. 203 χόλῳ ἄρα σ᾽ ἔτρεφε μήτηρ.

16-18. *Glarea confregit dentes meos, cinere me conspersit (?); a pace animum removit, ita ut bonorum obliviscerer et dicerem: exstincta est fides mea, spes mea a Jehova* (recessit).

Miror sane, hostium acerbissime in vatem exercitas vexationes, quæ hic describuntur, a tot interpretibus vel non intellectas vel obscuratas esse, maxime ob singularia quædam h. l. adhibita verba. וַיַּגְרֵס בֶּחָצָץ שִׁנָּי Goldwitzer: „er lies zermalmen auf Kies meine Zähne;" itaque Gesen. גָּרַס enim, quod in forma Kal modo legitur Ps. 119, 20, unde גֶּרֶשׂ, Lev. 2, 14, 16, esse

comminuere, *confringere* certum est. Recte Kimchi in libr. rad. וַיִּשְׁבֹּר. Quo vero sensu hoc dictum sit, de eo vehementer dubitant. *Wiedenfeld*, cui a Dei majestate poetæque dignitate abhorrere videtur, si quis Deum glarea, scrupis ad dentes poetæ confrigendos usum fuisse dicat, *de vehementi dolore in animo compresso* explicat: „der Leidende presst Kiesel zwischen „seine Zähne, um die Heftigkeit seiner Empfindung „nicht zum Ausbruche kommen zu lassen.“ Eleganter, nec tamen vere dictum, quod quidem multis probare non opus est. Neque facilior est ratio *Börmelii*, qui Deum lapidibus in eum jaculatum esse fingit: „zerbrach die Zähne mir mit Steingeschoss.“ Jarchid. Mendels. multique alii, inter quos noster quoque *R. Möller*: *pane scrupis commixto*, quo dentes confringebantur, me cibavit (hic: „gav mig Bröd, blandet med Smaasteen at spise), quod obscurius sane a vate dictum esset, quam ut ferri posset. Has aliasque, quas afferre piget, interpret. animo volventi, hostiumque in se vexationes vatem deplorare recordanti facillima mihi visa est translatio ea, quam, etsi præbente nexu et lingvæ usu, a nemine propositam esse miror, ratus, nihil aliud his verbis designari, quam *graviter se ab hostibus esse afflictum*, Deo permittente (qui quidem facit, quod permittit). Idque poetarum Hebr. more. *Dentes enim confringere* significat in s. c. graviter *affligere*, *vehementer vexare*, Ps. 3, 8. שִׁנֵּי רְשָׁעִים שִׁבַּרְתָּ; Ps. 58, 7. אֱלֹהִים הֲרָס־שִׁנֵּימוֹ. Hoc igitur vult vates, deum adversariis ipsius vatis persequendi copiam dedisse; quod autem חָצָץ *glarea* (Prov. 20, 17) id factum esse dicit, egregie hoc illustratur, si vatem in foveam carceris

dejectum animo comprehendimus. LXX ἐξέβαλε ψήφῳ ὀδόντας μου; mire Vulg. *et fregit ad numerum dentes meos*, in qua interpret. *ad numerum* hauddum explicavit quisquam. Nostræ explicationi perquam favent ea, quæ sequuntur: הִכְפִּישַׁנִי בָּאֵפֶר; sive enim ἅπαξ illud λεγόμενον כָּפַשׁ cum *Gesenio*, quem sequi libet, vertas, *cinere me conspersit*, sive cum Vulg. *cinere me cibavit* cfr. Ps. 102, 10 (LXX ἐψώμισε) — nam quod Aben-Esra habet געלני — *inquinavit me* aut Chald. כבש *humiliavit* non verbum sed sensum indicat — in utraque interpretatione hominis inest descriptio, summis perforati calamitatibus, quæ proprius elucet e persona vatis, qui in carceris sordibus repleti tenebras se detrusum depingit. וַתִּזְנַח vel *rejecisti* vel passive *rejecta est*. מִשָּׁלוֹם *ut non esset* pax i. e. tranquillitas, ita Hab. 2, 16 מִכָּבוֹד *ut non sit honor*. נָשִׁיתִי טוֹבָה i. e. tanta tentatione affectum me pæne memoria deseruit beneficiorum a Deo acceptorum, atque omnis mea fiducia evanuit. (Vellem sane lectores evolverent *Calvinum* ad n. l., qui de fidelium tentationibus et desperatione verissima profert). Alii ut Ros. נָשִׁיתִי וגו' explicant: nihil boni mihi amplius contigit, quod minus rectum ob ea, quæ sequuntur. נֵצַח autore Schult. (ad Proverb. pag. 191) est *fides sincera in promissiones Dei defixa*. מֵיְהוָה ad אָבַד pertinet.

19-21. *Memento miseriæ meæ et erroris, absinthii et fellis! Profecto recordaberis; depressus enim mihi est animus. Hoc mihi ad animum revoco, propterea spero.*

Etiam hæc commata non intellexerunt multi inter-

pret.; ideo tot de iis protulerunt sententias, poetam, ut fit in gravissimo dolore, ab alio ad alium transire animi affectum obliti, quamquam rectam interpretandi viam jam aperuit *I. H. Mich.* (not. ub). „*Luctatus poeta* v. 19, *contra desperationis, quam expressit* v. 18, *affectum, mox per fidem emersurus.*“ מְרוּדִי cfr. 1, 7; egregie hoc verbo vates ab alio ad alium locum circumactus describitur; *hac fide in animo excitata*, v. 20, *suam fiduciam in Deo positam ita exponit, ut sibi Deum auxiliaturum esse pro certo affirmet* v. 21, *animumque ad spem revocet, seque iis, quæ sequuntur, erigat.* Ita omnia plana, affectus plena, vera; sic quoque *Luth.* et Wiedenfeld. alii. תָּשׁוּחַ עָלַי נַפְשִׁי vertimus: *depressus est mihi animus*, consentiente Ps. 44, 26. שָׁחָה לֶעָפָר נַפְשֵׁנוּ; de vi vocis עַל vide Maur. ad Jerem. 8, 18. Si quis præferre malit Chthib. תָּשִׂיחַ, id non cum Gesenio intrans. sed transit. sumendum crediderim: *tu enim et ipse mihi animum depressisti. Dathe*, secutus, ut ait, lectionem textualem תָּשִׂיחַ a שִׂיחַ *meditari, loqui* vertit: *memor eris, animo meo præsagiente*, itaque Riegler: „Du denkst gewiss daran; mir sagts mein Geist“ — שׁ et שׂ confundentes. Vetus sane horum versuum perturbatio, nam LXX. v. 19 ἐμνήσθην ἀπὸ πτωχείας μου, v. 20 μνησθήσεται καὶ καταδολέσχησαι ἐπ᾽ ἐμὲ ἡ ψυχή μου. Vulg. v. 20 memoria memor ero et *tabescet in me anima mea* (Cod. Nor. habet καὶ τακήσεται). *Schleusn.* (cur. pag. 32) תָּשִׂיחַ καταδολεσχῆσαι vertendum censet: *consolare animam meam*, non admittente linguæ usu. זֹאת sunt hæc de justitia et misericordia Dei solatia, quæ a v. 22 sequuntur;

22-33. *„Dei benignitas est, quod non sumus con-„sumti, quod misericordia ejus non evanuit, „singulo diluculo nova exstitit. Magna est fides „tua! Portio mea Jehova, inquit anima mea, igitur „eum exspectabo. Bonus est Jehova iis, qui „eum exspectant, animo, qui ipsum quærit. „Bonum est (ei); nam exspectabit idque cum „silentio auxilium Dei. Bonum est viro, si ab „adolescentia gesserit jugum; sedebit solus et „silebit, quia Deus hoc ipsi imposuit; ponet in „pulvere os suum, an forte sit spes; ferienti „præbebit maxillam, opprobriis satiabitur; non „enim in perpetuum Dominus rejiciet (eum); „si etiam affligit, tamen, quæ ejus est clemen-„tiæ copia, rursus miserebitur; non enim ex „animo homines deprimit et afflictat.“*

En habes magni et generosi animi solatia, ex intima pietate illa quidem profecta, quibus graviter afflictatum pectus in rerum meliorum spes sese erigit, clementiæ memor divinæ, quæ non poena ab hominibus exigenda delectatur, sed mala ipsa in hominum convertit commoda. Hac oratione nihil sublimius me nosse profiteor.

22. חַסְדֵי cum Mich. Maur. aliis addendum esse verbum subst. credo; כִּי vero eadem significatione bis positum esse. In Alex. desunt v. 22, 23, 24: leguntur in Vat. multisque ex Compl. aucta additamentis כִּי לֹא־תָמְנוּ *quod non sumus consumti* - major potuit

esse calamitas, quam quæ nunc est, ni adfuisset clementia Dei. LXX ὅτι οὐκ ἐξέλιπέ με, quasi scriptum fuisset תַּמְנִי (Capell. 599), nisi ex Theod. legendum ἐξελίπομεν.[1]) לַבְּקָרִים nollem cum *Calvino* et *Dathe* vertere: *singulis diebus*; major enim inest vis in *singulo diluculo*, quando solis radii inexhaustæ benignitatis nobis afferuut documenta cfr. Ps. 59, 17. 92, 3, Es. 50, 4. רַבָּה אֱמוּנָתֶךָ, nescio sane, quid sibi voluerint illi interpr., qui lectionem mutandam esse opinarentur, ut *Joel Löwe*; nihil sane frequentius, quam ut ex animo commmoto erumpant exclamationes (cfr. Wiedenf. pg. 82). Quia vero major hominum pars *extra Deum* felicitatem quærit, ideo solatur se pius animus, quod Jehova se præstat benignum, quod *in Deo*, quocum semper est conjunctus, *acquiescere* potest animus; hoc significat חֶלְקִי יְהוָה *portio mea Deus est* cfr. Ps. 16, 5. 73, 26. 142, 6.[2]) 119, 57. (Bene comparat Wiedenf. Germanicum: mein

23.

---

[1]) *Pareau*, *Löwe*, alii legere malunt תַּמּוּ ob sequentum 3 pers. כָלוּ, quod vix opus esse, non est, quin videat.

[2]) *Pium* hoc dicendi genus omnino non agnovit *Böttcher* (Proben), qui, multis *alienisque* locis allatis, „in allen diesen Stellen, inquit, ist wegen der Menge theils ausserjüdischer gemeinsamer Naturgottheiten theils insbesondere kanaanitischer oder babylonisch-asiatischer in Grenzen beschränkter Volks- und Landschafts-Götter die *Gottheit* sehr natürlich als ein Gegenstand *gleicher Vertheilung* (חֵלֶק), als ein *zugelostes Besitzantheil* (גּוֹרָל) einem *Landesantheil* mit seiner Pflege und Nutzung entsprechend, vorgestellt.“ Quam parum pietatis scriptorum sanctorum gnari sunt, qui hæc dicunt!

26. Schatz). In sequentibus: טוֹב וְיָחִיל־יְהוָֹה variant interpret. ob incertam formam verborum יָחִיל et דּוּמָם. *Gesenio* prius adjectivum est, ulterius substant. adverbialiter positum; *bonus est Dei benignitatem exspectans, idque tacite*; *Rosenmüllero* יָחִיל fut. ex חִיל = יָחַל, et דּוּמָם Part. pual; „*Bonum est, ut* (i. e. si) *quis exspectat et quidem silens.* *Maurero* יָחִיל et דּוּמָם substantiva videntur; *bonum est exspectatio et silentium* i. e. tacita exspectatio, spes. Mihi, quo minus ad has accedam sententias, hoc obstat, quod nimis præcisa mihi videtur, his admissis interprett., oratio vatis, qui in eo est, ut fidelium animos ad subjiciendum se divinitus immissis calamitatibus et ad tolerantiam suscipiendam spe melioris condicionis et cogitatione benignitatis divinæ abhortetur, quare cum antecedentibus cohærere puto, conjungens Rosenm. et Gesenii sententias: *Bonum est ei* (i. e. qui Deum quærit v. 25), *nam*
28. *exspectabit idque cum silentio auxilium Dei*, quocum arte cohærent quæ sequuntur v. 27: *Bonum est, qui jugum tulerit* — experientia edoctns hæc profert (Jerm. 1. 6) vates, qui per totam vitam tot exhauserit calamitates (cfr. § 11). כִּי נָטַל עָלָיו — *nam* (Deus) *ei hoc imposuit jugum*; hic est *primus* patientiæ ex pietate ortæ fructus; *alter* in v. 29, quod submisse se gerit, neque plane animo despondet. יִתֵּן־פִּיהוּ summum venerationis et modestiæ signum; respicit ad urbanitatis comitatisque ritus apud Orientales, qui coram principe vel viro honorato in terram sese prosternerc *osque suum* pulveri tantum *non admovere solebant* Gen. 42, 6 1 Sam. 25, 23. 2 Sam. I, 2, cfr. Job 1. 20. Mich. 7,
30. 17. Ps. 72, 9. אוּלַי וגו׳ sc. לֵאמֹר cogitans. *Tertius* fruc-

tus patientiæ in hostium contumeliis tranquillo animo perferendis, ut quæ non nisi voluntate Dei nos affligant. יִשְׂבַּע בְּחֶרְפָּה *satiabitur opprobriis* i. e. quamquam satis eum contumeliose tractant improbi; omnino aberravit Wiedenf. „indem er sich an eiguer Schande sättigt.“[1]) וַיַּגֶּה pro וַיְיַגֶּה fut. Piel. Optime Dei invite quidem punientis benignitatem Teod. descripsit ad n. l. *Ὀργιζομένου γὰρ τὸ σχῆμα, τὸ δὲ βούλημα φιλανθρωπίας μεςόν.* 33.

Sub pedibus vinctos patriæ suæ omnes conterere, in conspectu numinis altissimi jus viri alicujus pervertere, in judicio hominem confundere — hæccine non videat Deus? Quis tandem dixit quidquam et fit, Deo non jubente? e Dei ore nonne prodeant mala bonaque? Quid (igitur) *vivus conqueritur homo? ob sua quisque peccata* (*queretur*) *potius.* 34-39.

A se ipso ad populi peccata, ex quibus istæ ortæ sunt calamitates, sese convertit vates, Deum res humanas profecto curare etiam atque etiam monens, quo ad poenitentiam reducerentur animi v. 40. Hæc ut intelli-

---

[1]) Omnia verba יִשְׂבַּע וְיֵשֵׁב וְיִתֵּן etc. non *præsentis conjunctivi* modo, ut fecit *Rosenm.* alii, sed *futuri* dedimus; non enim *exhortatio* ad patientiam, sed *descriptio* in his verbis inest, quod quidem sentire potest, qui conjunctim hæc (v. 23-33) legerit; loquitur profecto de tali animi habitu, quem ipse vates, ardenti pietatis commotus studio, dudum induit (cfr. § 9).

gamus, frivola istius temporis hominum superbia animo nostro objiciatur necesse est, qui vana quadam elati sollertia, neque pænas divinas metuendas neque religionis et pietatis studium tenendum — scilicet Deum hæc tueri non posse — rati Es. 5, 19. 7, 12. 29, 11, non solum, quæ lex divinitus patefacta juberet, contemnerent Jerem. 17, 21. 34 9 sq. Ezech. 5, 6, sed falsis judiciis pauperes viliorisque condicionis homines premerent Es. 5, 20. Jerem. 5, 28. 22, 2, proprios defraudarent cives Jerem. 9, 3. Qui homines cum scelerum suorum fructus nunc perciperent, non sentiebant, se justas nunc

34. dare poenas. Hos igitur refellit. לְדַכֵּא referendum ad לֹא רָאָה v. 36, serioris Hebraismi ratione, quæ, ut multa alia loquendi, jubendi, ejulandi, ita hoc *videndi* verbum cum ל conjunxit cfr. Ps. 64, 6. כֹּל אֲסִירֵי אָרֶץ Löwe et Wiedenf. „die an diesen Erdball gefesselten Menschen, die leidende Menschheit," vix adprobante usu loquendi Hebræorum, neque quidquam facere eum, quem afferunt ex Es. 61, 1 desumtum locum, apparet. Rectissime Gesen. „*Captivi alicujus* sunt tam ii, quos quis captivos fecit et in carcere detinet, quam captivi ad populum et terram ejus pertinentes" (Thes. pag. 132). נֶגֶד

36. non, ut Löwe, „gegen des Höchsten Absicht," sed in conspectu. אֲדֹנָי לֹא רָאָה *hœccine Deus non videat?* ita rectissime cum *Mich.* (not. ub), *Glassio*, *Maur.* aliis[1]);

---

[1]) Optime *Gesen.* (Lexicon edit. nov.): „Es steht (לֹא) in „Fragesätzen, wo man eine bejahende Antwort erwartet „(griech. οὐκ unser: nicht?), *besonders bei der Anknüp-* „*fung an einen vorigen Satz.* Hiob. 2, 10. 14, 16. 2 „Reg. 5, 26. Jerem. 49, 9. Klag. 3, 36."

Rosenm. vero, *Löwe* alii h. l. *referri* censent voces eorum, qui, deum res humanas curare, negent; itaque vertunt: *cum conculcantur etc.* — *id Deus non videt;* sed, ut bene monuit Maurer, vices loquentium non sunt mutandæ, nisi urgeat necessitas. Minime audiendus *Dathe*, qui לֹא רָאָה vertit: *nequaquam approbat*, assentiente Jarchide. Si igitur Deus vindictam quamvis seram sequi jubet scelera, quis tandem *fortuito* mala nobis accidisse opinetur; id bene his verbis exprimit: *quis tandem dixit quidquam* וַתֶּהִי *et factum est* i. e. quis *sua* ipsius *vi* quidquam effecit, Deo non jubente (1. 10). Igitur et bona, quibus fruimur, et mala, quibus plectimur, Deo jubente accidunt. מִפִּי עֶלְיוֹן ut sæpissime de voluntate, jussu divino, Deut. 8, 3. Es. 55, 11, quo fit, ut in vita non de malis, quæ nos affligunt, queri debeamus, sed de suo quisque peccato queratur, *omnium malorum fonte.* יִתְאוֹנֵן non nisi h. l. et Num. 11, 1 legitur; notionem esse: *conquerendi* non dubium est. חָי, qua de voce tot sententiæ prolatæ sunt, simpl. explico: *in hac vita*; sermo enim aperte est de imbecillitate animi, qua *extra nos* eum malorum fontem quærimus — scilicet impios in hac vita esse impunitos rati, — quem *intus* quærere oportet. — Hunc igitur malorum fontem obstruere oportet:

37.

38.

39.

40-42. *Scrutemur vias nostras, inquiramus et revertamus ad Deum; tam corda, quam manus ad Deum cœlestem attollamus; nos enim peccavimus, ad iracundiam (te) provocavimus, tu quidem non condonasti.*

Ad veram animi poenitentiam, haud fallacem ge-

stu supplicumque vocibus modo ostendendam adhortatur yates — לְבָבֵנוּ אֶל־כַּפָּיִם proprie: corda *præter* manus i. e. non solum manus, qui precantium mos sine fide vanus est (De hac usu אֶל cfr. Ges. Lex.), sed et

41. animos; ita Joel. 2, 13 קִרְעוּ לְבַבְכֶם וְאַל בִּגְדֵיכֶם וְשׁוּבוּ אֶל־יְהוָֹה. LXX v. 40 *ἐρευνήθη ἡ ὁδὸς ἡμῶν καὶ ἠτάσθη ἀναλαβώμεν καρδίας ἡμῶν ἐπὶ χειρῶν*, prius ita explicant, ut eos נֶחְקְרָה et נֶחְפְּשָׂה legisse dicant (Capell. pag. 531. Schleusn. pag. 37), quod quidem admodum est incertum, cum Syr. Hex. *ἐξερευνήσωμεν* legisse videatur. Versio LXX v. 41 a nostra et Vulg. interpret. haud aliena est, quicquid contra dicunt alii. נַחְנוּ פָּשַׁעְנוּ Miro

42. modo *Löwe* vatem nunc se sua agnoscere peccata credit; quanto melius Wiedenf. „es ist ein heilig schö„ner Zug in den Äusserungen des Propheten, dass er „sich selbst, im Bewusstsein eigener Sündhaftigkeit und „Schwäche, von der Zahl der Verirrten nicht ausschliesst, „und, wie wohl ein eifriger Beförderer der Sache „Gottes, dennoch auch sich nicht freisprechen will von „Untreue gegen den Heiligen.“ Jam ex peccatis ad mala inde orta transeuntem harum calamitatum subit memoria, ut rursus hæc describat v. 43—50, unde ad sua ipsius revertitur mala:

43-50. *Obtexisti (te) ira, nos persecutus es, interfecisti, non pepercisti; obtexisti te nube, ne ad te preces possent penetrare; eversos et rejectos nos inter gentes fecisti; contra nos aperuerunt ora hostes nostri omnes; terror et fovea, vastatio (?) et interitus nobis sunt.*

Aquarum rivos manant oculi mei ob populi filiam perditam; diffluunt oculi mei nec cessant, quia non est remissio, donec ex cœlo prospectet et videat Jehova.

סַכּוֹתָה בָאַף Sunt, qui cum Chaldæo vertant: obtexisti *nos* iratus (quæ enim lucent, læta, quæ obnubilantur, tristia sunt) ob v. 44 סַכּוֹתָה־לָךְ; at vix omitti posset pronomen; ut בֶּעָנָן, cum quo jungendum לָךְ, ita h. l. *ira* Dei faciem Israelitis occultare dicitur. מֵעֲבֹר תְּפִלָּה cfr. v. 8; de versione LXX ἕνεκεν προςευχῆς vide § 15. Symmach. ex Hexapl. ὥςε μὴ διελθεῖν προςευχήν. סְחִי, quod non præter h. l. legitur, est id, quod everritur[1]) (ex quo nostrum: *eversos*), abraditur, quisquiliæ, stercus (ita Chaldaicum: סְחִיתָא, stercus), a verbo סָחָה everrere, quod uno loco Ezech. 26, 4 legitur. Jarchid. כיע i. e. sputum cfr. 1 Cor. 4, 13. Misere perturbata est versio LXX סחי et מאוס ad v. 43 referens: καμμύσαι με καὶ ἀπωσθῆναι, neque, unde hæc reddendi ratio sit orta, Capelli (pg. 608) aut Schleusneri eruit ingenium. Boch. (Hieroz. 1. 32) καμμύσαι με, *ut oculos meos clauderet*, vertit. Timeo, ut recte. Iterum opem nobis feret Syr. Hex, cujus nota habet ܠܡܟܦ, ad incurvandum, unde cernitur, pro καμμύσαι legendum κάμψαι. Aquil. λαλίαν καὶ ἀτιμίαν. Symm. *stercus et rejectionem*. Vulg. eradicationem et abjectionem. פָּצוּ פֶה cfr. 2, 16 פַּחַד וָפַחַת cfr. Es. 24, 17 פַּחַד וָפַחַת וָפָח

44.

46.

---

1) Qui *everriculum* vertunt, latine non scribunt; everriculum non est id, quod everritur, sed id, *quo* everritur.

Jerem 49, 3 (cfr. § 15). הַשֵּׁאת Plerique: *vastatio*, interitus, idem, ut vult Gesen, ac שֵׁת Num 24, 17, quæ vox ibi magnis subjecta est dubitationibus (cfr. Rosenm. ad Num. l. c.). Ob similitudinem ll. Es. et Jerem. perquam mihi placet ratio *Michaelis* (Suppl. pg. 1737), *decipulam*, *laqueum*[1]) (Schlinge) פַּח vertentis, nisi quod ה non articulum, sed ex Hiphil ortum censet, cum שֵׁאת ex נָשָׁא (Jerem. 26, 3) eodem modo ducitur,

48. quo שְׂאֵת a נשׂא. LXX ἔπαρσις. Vulg. *vaticinatio*(!), הַשֵּׁאת permutans. פַּלְגֵי LXX ἀφέσεις, Vulg. divisiones; de ipso dicendi genere vid. 1. 16. 2, 18. נִגְּרָה — nollem

49. conjecturis suis turbassent *Doederl.* et *Schleus.* vers. LXX: κατεπόθη, quod oculos lacrimis consumtos, quasi

50. dissolutos, describit. Vulg. liberius: *afflictus est.* עַד יַשְׁקִיף וגו׳ Bene auxilium salutemque divinitus oblatam repræsentat imago Dei nubibus, quibus se involverat, dissipatis hominum vitam rursus intuentis.

51. *Gravi dolore propter omnes urbis meæ filias afflictus sum.*

Dedimus magis explicationem, quam interpretationem, quoniam propriam vim verborum non fert sermo Latinorum. עֵינִי רג׳ propr. *oculus animum meum affligit*; נַפְשִׁי, ut sæpissime, pro me, i. e. lacrimis pæne confectus sum. מִכֹּל cum plerisque reddimus: propter, haud scio ta-

---

1) Aliam, ab hac diversam, interpretationem proposuit O. B. XIX pg. 136, pro הַשֵּׁאת legere se הַשְּׂאֵת *elevatio*; hanc quoque in versione Germanica secutus est: tollit nos in altum, ut lapsu graviore decidamus.(?)

men an melior sit antiq. interpr. *præ* i. e. *magis quam*, ego vehementius afflictus sum, quam omnes incolæ urbis, quo aptior cum sequentibus profisciscitur nexus. Veterum interpret. nemo assecutus est sensum. De עלל cfr. 1. 12. Bene Jarchides confert Hiob 16, 15 וְעֹלַלְתִּי בֶעָפָר קַרְנִי.

Venati sunt me, veluti avem, hostes mei, sine causa; in fovea vitam meam exstingvere conati sunt, lapidem super me posuerunt; inundaverunt aquæ super caput meum, me excisum esse putavi; ex ima fovea tuum, o Jehova, invocavi nomen; voces meas audivisti: „ne aures ad me clamantem sublevandum obstruas;" appropinquasti die, quo te invocavi, dixisti: „noli timere." Causam meam, o Domine, egisti, vitam meam liberasti. Vidisti, o Jehova, oppressionem meam; judica judicium meum; vidisti omnes eorum ultiones, inita contra me consilia; opprobria eorum, Jehova, audivisti, omnia contra me consilia, sermones eorum, qui contra me insurgunt, machinationes eorum toto die contra me factas; quomodo sedeant, quomodo surgant, aspice! famoso carmine eorum sum diffamatus. 52-63.

De suis malis laboribusque deplorat vates, quibus adversariorum injuriæ eum affecerunt Jerem. 38, 6 sq; in his autem ipsi sibi salutem ait a Deo datam, si qui-

dem non solum e fovea extraheretur, sed postea, a Chaldæis expugnata urbe, in libertatem vindicaretur (§ 9); neque hac tamen liberatione cessarunt prophetæ calamitates; eorum enim, qui in Judæa erant relicti, opprobria, qui Jeremiam tanquam Chaldæorum partibus cupientem vanis vaticiniis populum decipere clamitabant, non solum ferre, sed iis quoque cedere cogebatur (Legenda sunt capita Jerem. 40. 41. 42, et quæ nos diximus § 9), quare innocentiœ suæ testem, hostium suorum vindicem invocat Deum (59—63). 52. צוֹד צָדוּנִי frequens simile ex venatione ductum Mich. 7, 2. Lev. 26, 36; etiam de Deo homines affligente Hiob 10. 16. כַּצִּפּוֹר temere *Boch.* (2. 157) h. l. „de *majoribus* avibus, quibus aucupandis opera libentius insumitur." חִנָּם recte accentus conjungunt cum אֹיְבַי cfr. Ps. 7, 5. 35, 19. 69, 5 (Ew. § 487), haud assentientibus Löwe, Horrer. Börm., qui cum צָדוּנִי jungunt. 53. Qui צָמְתוּ־בַבּוֹר verterunt: *detruserunt in foveam*, eos turbavit vox חַיָּי, quia neque *vitam* detrusam, neque se *viventem* dejectum apte diceret vates. Igitur Börmel eumque sequens Löwe חַי pro אַחַי positum crediderunt, cujus rei nullum exstat exemplum. At צָמַת: proprie: *ad silentium redigere*, Hebr. significat *exstingvere* Ps. 119, 139 etc., et nostro loco de *conatu*, ut Gen. 37, 21 וַיַּצִּלֵהוּ eum liberare *voluit*, Exod, 8, 13 וַיַּעֲשׂוּ *voluerunt* facere, 16, 23 etc. (cfr. Nold. No. 672, et 911); ita *Riegl.* Wiedenf. Rosenm. LXX ἐθανάτωσαν. וַיַּדּוּ־בִי i. e. super cisternam, non, id quod *de suo* apposuit Rosenm.: „*mihi loquenti*," qui alapides januæ loco speluncis claudendis inserviebant, Dan. 6, 18. Jos. 10, 18. Matth. 27. 60; sunt etiam, qui אֶבֶן figurate de gravissimis ma-

lis dictum putent. Hæc autem certe describuntur quo- 54.
que in iis, quæ sequuntur: צָפוּ־מַיִם עַל־רֹאשִׁי, inundantes enim aquæ ad summam depingendam miseriam pertinent Ps. 18, 17. 69, 2. 3, 124, 4—5, 144, 7, neque quemquam permovere debuit, quod Jerem. 38, 6 legitur וּבַבּוֹר אֵין מַיִם.[1]) Hitzigius quidem (l. c. pg. 76): „vermuthlich sollen die Worte Jerem. 38, 6 nur besa„gen, es war nicht *so viel* Wasser da, dass er *ertrin„ken* musste; vielmehr war es darauf abgesehen, ihn „verhungern zu lassen. Ueber den lockern Koth, in „welchem er sank, stand vielleicht doch Wasser, und „dieses reichte ihm also Ps. 69, 3 zunächst an den „Hals oder ans Leben,“ conferrique jubet nostrum locum. At עַל־רֹאשִׁי super caput, non proprie sed translate dictum esse apparet. נִגְזַרְתִּי *excisus sum* ab omni spe, a cætu hominum exclusus, perditus.— V. 56 non, 56.
ut multi, de precibus nunc a vate effusis, sed de precatione, in fovea facta, quæ incipit a verbis אַל־תַּעְלֵם; id h. l. cum אָזֶן, aliis in locis cum עֵינַיִם conjunctum Es. 1. 15, Prov. 28, 27, aures obturare, ne quis audiat (proprie ut vult Schult. Orig. pg. 388. obsignare). רְוָחָה Luth. Vulg. Schult. alii vertunt: *suspirium*, omnino adversante altero, ubi exstat, loco Ex. 8, 11, in quo levationis, recreationis haud dubia est notio. LXX: μὴ

---

1) Falso multi, inter quos *Rosenm.*, ex Jerem. 38. 6 nostroque collato loco collegerunt, de Jeremia non scripta esse, quæ hic legimus, quasi poetica dicendi ratio res non exaggeraret; neque hoc tamen necessarium, cum figurata oratio sit plana.

κρύψῃς τὰ ὦτα σου εἰς τὴν δέησιν, εἰς τὴν βοή-θειάν μου ἤγγισας (קרבת huc trahentes), aliud pro רְוָחָתִי eos legisse (cfr. Capel. 625) vix mihi persvadere possum; divinasse eos potius crediderim; Kimchi quo-

58. que modo. habet רָב רִיב ·דִּבְרֵי· et שָׁפַט מִשְׁפָּט — *causam alicujus agere,* de Deo, qui hominum innocentiam in diem lucemque profert 1 Sam. 25, 16. 25, 39. Ps. 43. 1. גָּאַלְתָּ חַיָּי non cum Gesenio imperative dictum: *redime,*

62. sed præt. modo: *redemisti* a morte i. e. liberasti. עַוָּתָה cfr. v. 9. שִׂפְתֵי קָמַי labia *insurgentium* mihi i. e. adversariorum contumeliosos sermones. הֶגְיוֹנָם LXX bene *μελέτας κατʼ ἐμοῦ* ex הָגָה, meditari; igitur הִגָּיוֹן meditatio, machinæ, nec opus est cum Dathio ad Arab. ling. confugere, ut „contumelias" inde possis eruere; cum alias Ps. 19, 15. 92, 4 strepitum citharæ indicet, non inepta est conjectura *Mich.*, qui tamen nihil audet definire, הִגָּיוֹן h. l. *carmen* significare cfr. v. 63 מַנְגִּינָה

63. (Suppl. pg. 497). v. 14. שִׁבְתָּם וְקִימָתָם sessio et surrectio i. e., quid mane, quid sero contra me moliantur cfr. Es. 37, 28. Ps. 139, 2. מַנְגִּינָה cfr. v. 14.

64-66. *Repende iis, ut vi sua egerunt; obstinatæ menti trade eos, exsecratio tua* (obtingat), *ex orbe terrarum eos exstingue.*

Diras has in hostes exsecrationes, quanquam eo excusari posse concedo *Calvino*[1]) *Wiedenf.* quod vatis

---

[1]) *Calvinus* (n. l.) „Quoties sancti ita ebulliunt contra ho-

adversarii Deo quoque hostes essent, vix tamen defendendas suscipiet quisquam cordatus; majore lumine, quod Christianæ debemus doctrinæ, isti sancti viri carentes, vehementioribus, ut Orientales, abrepti libidinibus motibusque ea effundebant, quæ humanæ naturæ imbecillitatem indicant. Quare *Less.* rectissime, *amorem in hostes*, qualem *nos* exercere jubemur, vocat: „Ein Meisterstück der Christlichen Moral" (Ueber die Rel. Gott. 1785 2. 605). הָשֵׁיב גְּמוּל repende iis cfr. Credn. ad Joel. pg. 237. מְגִנַּת ex גָּנַן optime illustravit *Schleusn.* (in Cur.), cum *tegumentum* seu *vestem* ab Orientalibus id vocari doceat, quo aliquis afficitur, quod alicui contingat sive bonum sive malum; sed in eo a vero abesse mihi videtur, quod *iram Dei* illud cordis tegumentum esse vult, si quidem מְגִנַּת לֵב (ἅπαξ λεγ., sed, ut docet Gesen. Thes. pag. 297, Arabibus frequens) *obdurationem pectoris* significat, cum quasi tegumentum cordi impositum sit. Aliis est *insania*, *mentis* (cfr. Ros.) *debilitas*, sed prius placet maxime adjuvante 2 Cor. 3, 15 κάλυμμα ἐπὶ τὴν καρδίαν, quod v. 14 exprimitur ἐπωρώθη τὰ νοήματα. Semel modo quoque legitur תַּאֲלָה *exsecratio.* Jarch. Vulg. LXX מְגִנַּת־לֵב ver-

---

„stes suos et cupiunt Deum esse ultorem, semper tenendum est illud principium, nempe eos non indulgere „suis libidinibus, sed ita *regi spiritu Sancto*, ut una cum „fervore zeli sit moderatio;" pie illud quidem, sed parum vere; erat enim in sanctis illis hominibus humanæ imbecillitatis aliquid, quam quidem non celat, sed libere profitetur s. c.

tunt: *scutum cordis* (quasi ex מָגֵן), et תַּאֲלָה μοχθόν, laborem (legerunt sane: תְּלָאָה v. 5.) מִתַּחַת שְׁמֵי e sub i. e. ex orbe terrarum; hoc dicendi genus maxime in recentioribus inveniri vult *Knobel* (Kohelet pg. 113), sed, ut inter omnes constat, haud recte.

Cap. IV.

Lugubre hoc carmen, etsi eadem deflet mala, quæ secundum carmen, multaque cum hoc, ut supra monuimus, habet communia (§ 10), in eo tamen diversum est a secundo, quod omnes animi affectus, omnes de perdita republica dolores in hoc nostro *exaggerantur* (v. 3. 9. 10.): condicionem pristinam (1. 5. 7.) cum misera illa comparantem desperatio vehementissima capit, quam vindictæ de hostibus sumendæ solum lenire et spes de peccatorum quondam remissione fideli animo conceptæ auferre possunt.

Quomodo obscuratum est aurum, mutatum est aurum bonum, projecti in compitis viarum omnium lapides sancti. 1.

Notissima sunt varia illa *auri* in s. c. nomina זָהָב (ex colore), חָרוּץ (effossum cfr. Ges. Thes. pg. 527), פָּז (pr. purgatnm), כֶּתֶם proprie id, quod *occultatum* est (ex כתם), quia, quæ occulta sunt, vehementius quæri solent (cfr. Braun de vest. Hebr. ed. 1701.

Amst. 2 § 490). עָמַם *occultandi* notionem habere (Ezech. 28, 3. 31, 8.) ex Arab. עמם, quod proprie de stellis soleque nubibus obductis usurpatur, dubitari non licet, quanquam non alienum est a nostro loco judicium *Schult.* (Animad. Phil. ad Ezech. l. c.), qui e *colligendi* notione verbi עמם, quam radicem omnibus fere lingvis etiam *indogermanicis* esse communem docuit egregie *Gesen.* Lexic. nov. s. v., eruit significationem *vilis, communis* (cfr. κοινός Hebr. 10, 29), sequente Dathe: *quam vile factum est aurum.* Quidquid est, rempublicam turpatam deplorat. *Aurum* alii, ut Theod. *Rosenm.* Wiedenf. Judaicam gentem, *aurum bonum* principes cfr. v. 7, 8, et *lapides sanctos sacerdotes* significare volunt, אַבְנֵי pro קֹדֶשׁ esse hoc loco nobiles illos pretiososque lapides, quibus sacerdos magnus esset ornatus הָאוּרִים וְתֻמִּים[1]). Alii, ut Chald. Munst. Calv. hæc omnia de *templo* dicta esse volunt, suis spoliato ornamentis, *lapides sanctuarii* vertunt אַבְנֵי קֹדֶשׁ (ita Vulg.), nec video, cur non *hæc melior* sit sententia, quoniam figurata illa, quam priore loco attulimus, dicendi ratio nimis esset artificiosa et exquisita, præsertim cum non sacerdotes, sed modo sacerdos summus Urim et Thummim esset ornatus. Facile, id quod monet Maur., facta auri hoc loco mentio vatem ad eas, quæ sequun-

---

1) cfr. Bellermann: die Urim und Thummim die ältesten Gemmen. Berlin 1824 pg. 21, Michaelem sequens: „Mit „den auf den Strassen wegen ihrer Sünden todt herum „geworfenen Israeliten werden zugleich die heiligen „Steine (als Symbole des Volks[?]) an den Strassen-„Ecken zerstreut werden."

tur, de pretiosis rebus desumtas comparationes potuit deducere. יִשְׁנָא pro יִשְׁנֶה (cfr. 3, 12. et Knobel Kohel. pg. 270). כֶּתֶם LXX verterunt ἀργύριον [1]). Itaque Syr. Hex., at nota habet: *tinctura rubicunda*, cui respondet Vulg. *color*. Chald. זִיו splendor.

2. *Filii Sionis pretiosissimi, aurum (purum) æquiparantes, quomodo lagenarum testacearum, figuli manibus factarum, instar sunt habiti.*

Egregium simile, optime opposita repræsentans. הַמְסֻלָּאִים בַּפָּז h. uno loco („aufgewogen mit Gold"), quasi auro rependendi. Frequens in s. c. ex *vasis testaceis* petita est imago imbecillitatis humanæ cfr. Es. 29, 16. 45, 9. 49, 1; egregie eam figuratum illud Jeremiæ describit vaticinium 18, 2 sq.; testæ autem fictiles eæque confractæ, quarum nullum est pretium, abjectissimam indicant condicionem Jerem. 19, 11. Ps. 2, 9. (cfr. Harm. 1, 121. 3, 99). Ita de corpore debili Paulus 2 Cor. 4, 7. ὀστράκινα σκεύη.

3. *Etiam balœnæ(?) extrahunt mammas, catulos suos lactant, filia populi mei facta est crudelis, quemadmodum struthiones in deserto.*

Secutus sum in incerto vocabulo תַּנִּין explicando *Bochartum*, qui Hieroz. 1, 46. *cete*, mammis catulos lactantia h. l. intelligi pluribus demonstravit, quanquam תַּנִּין aliis in locis *dracones* significare non negat (2,

---

1) Hoc uno loco, ut aliis χρυσίον Hiob 28, 19. Cant. 5, 12. Dan. 10, 5, vel λίθος Es. 13, 12, vel λίθος πολυτελής Hiob 31, 24.

424). Neque tamen autoritatem rejicere auderem *Gesenii*, qui *thoes* (Schakal)[1]) significare vocem תַּנִּין pro certo habet, nisi argumenta, quæ affert, omnino aliena a nostro loco esse viderem. Is enim (Lex. 2, 822) „Klag. 4, 3 kann nicht der Wallfisch verstanden werden, weil von einem *reissenden* (?) Thiere die Rede sein muss;" quod si verum esset, sthruthiones, de quibus mox plura dicemus, memorare non posset vates, quos ad ea referri non posse constat animalia, quæ „reissende" vocantur. Optime autem ex stupore balænarum simile hoc duci potest, uti mox in struthione videbimus; alterum animal, piscium excidium, suos curat catulos, alterum, timidum et fugax, eorum obliviscitur; huc accedit, quod thoum nomen occurrit 5, 18. Equidem vero, ut dicam id, quod sentio, mihi in vocibus תַּנִּים s. תַּנִּין, quæ sæpissime occurrunt, non *unum animalium genus*, nec id certum et ex natura rerum petitum semper quærendum esse videtur; nam, quanquam scriptorum Hebr. de animalibus descriptiones sæpissime sunt accuratæ, nobisque, quo magis patefit Oriens, eo cognitiores, atque multum sane tribuendum est acumini et eruditioni eorum, qui, ut *Boch. Oedm. alii*, de horum animalium in s. c. memoratorum nominibus et natura disputarunt, nescio tamen, cur, quemadmodum omnes alii poetæ fecerunt, ut *fabulosa animalia nominaque* carminibus suis immiscerent, *idem non liceret Hebr. poetis*. Quoniam vero hoc iis concedere noluerunt

---

1) De harum natura vide Harmar 2, 170, Fab. Archæol. 140, Oedmanns vermischte Sammlung. IV. 4, Boch. Hieroz. 1, 860, et quæ ad 5, 18 memorabimus.

interp., inde tot sententiarum discrimina, vix unquam componenda, sunt profecta. Idem de verbo תַּנִּין h. l. judico, quod ad fabulosa *draconum*, *cetorum*, *monstrorumque*, quæ et in mari et terra degere cogitabant, genera referendum esse duco, ita tamen, ut modo hoc modo illud, modo certum, modo fictum aliis in locis intelligendum sit animal. Quæ cum ita mihi esse videantur, non respuo versiones LXX, qui habent *δράκοντες*, Symm. *σείρηνες*, Vulg. lamiæ, ad fabulas illa quidem referenda. חָלַץ extrahere, bene si de balænis intelligas, qui papillas non habent. Conferri debet Jarch. ad h. l. גּוּר maxime de catulo leonis. De אַכְזָר cfr. § 15. כִּי עֵנִים ad illa loca pertinent, in quibus voces separatim scribuntur, sed conjunctim legendæ sunt[1]), conjunctim legunt 45 codd. Kennicot., 77 codd. Ross. (cfr. de Rossi III. 245), Bibl. Soncin. Brixiensia et Megilloth Bon. 1482; igitur recte Rosenm. in antiquo quodam codice separatim fuisse hanc vocem censet, ex quo codice hanc scripturam *casu* factam, nimia superstitione adducti, ad alios codices transtulerunt librarii, neque opus est conjectura Maureri, qui Chtib defensurus עֹנִים legere vult, „*clamantes in deserto;*“ scilicet significari struthiones sic dictos a voce canora, quam struthiones feminæ tollunt (Mich. 1, 8. Hiob 30, 29). Obstat enim huic opinioni *et* constructionis difficultas, quoniam כִּי (ita legi jubet V. C.) affirmativam vim tribuit (cfr. pg. 87) atque ante עֵנִים addendum credit לְ *et* veterum omnium versionum repugnantia, qui legerunt כַּ *ὡς*,

---

1) De his disputavit *Capellus* (Critic. sacr. pg. 188—202), de nostro pag. 197; conferendus est Boch. 1, 1032.

quasi: Chald. כְּ, *et* incerta derivatio, cum facilior sit ex *voracitate* (יען), quam ex *cantu*, clamore (ענה cfr. Es. 13, 22. de thoibus ululantibus) denominatio. Quod vero matres partus sui (præ fame) immemores comparat vates cum struthionibus feminis (alias vocantur בַּת יַעֲנָה), id egregie illustratur venustissimo loco Hiob 39, 13—17, maxime v. 16. „*duriter tractat pullos suos*[1]) *ac si non essent sui*, quem locum ingenti eruditionis copia illustravit *Bochart*. (2, 218 seq.). Struthionem autem, stultissimi generis animal, ova sua in pulvere posita reperire non posse, quare ea solis calore excluduntur, rerum naturalium periti nos docent; inde struthio mas vocatur תַּחְמָס (a חמס violentia) a crudelitate in pullos, non ex feritate innata quadam illa quidem exorta, sed ex stultitia, qui suos agnoscere nequit, et timiditate, cum metu agitetur.

4. *Hæret palato lingva lactentis præ siti, panem flagitant parvuli, neque est, qui eum porrigat* (propr. frangat).

Cfr. 2, 12.

5. *Qui lautis epulis vescebantur, in plateis peribant, qui gestati sunt in coccino, fimetum amplexabantur* (s. fimeto se implicant).

אָכַל non nisi hoc loco cum לְ, quæ serioris Hebra-

---

1) הִקְשִׁיחַ בָּנֶיהָ לְּלֹא־לָהּ, quæ verba omnino aliter vertenda censet Arnheim (das Buch Hiob pg. 228): „verhärtet hat er ihre Jungen (Deus), dass sie nicht ihr gehören," matrisque crudelitate effici, ut ipsam non colant pulli. Nescio an magis absurdum quidquam!

ismi est formula. מַעֲדַנִּים de epularum deliciis, ut Gen. 49, 20, in quibus Hebræorum luxuria magnopere sibi placebat. Hoc significant non solum ea, quæ multa in s. c. laudantur *ciborum* maxime *placentarum* genera (cfr. de Wette Archæol. § 133), sed prophetarum quoque de luxuria querimoniæ Es. 3, 16. seq. 5, 14. Am. 6. 4 seq. Hiob 4, 18. Es. 5, 22. אֱמֻנִים עֲלֵי תוֹלָע, *gestati in coccino* i. e. coccinis vestibus vel stragulis seu induti sive involuti. תּוֹלָע prop. *vermis* pro ת״שָׁנִי seu שָׁנִי; nobilissimum illud colorum genus (nostrum: Carmesin) ex animalculi substantia, quod *coccus ilicis* vocatur, fit, atque non solum apud Hebræos pro pretiosissimo habebatur colore Jerem. 4, 30. 2 Sam. 1, 24, (Gen. 38, 29), qua de causa multæ sacerdotum et tabernaculi sancti vestes cocco erant tinctæ cfr. Exod. 28, 5 sq., sed apud Romanos quoque ad principum et imperatorum ornamenta pertinebant cfr. Plin. 22, 11. (Math. 27, 28), Mart. 3, 2. (cfr. Braun l. c. pg. 218 —241). Hos vero pretiosis stragulisque vestibus *gestatos olim pueros* (אֱמֻנִים ex אָמַן fulcire, sustentare, unde אֹמֵן παιδάγογος 2 Chr. 27, 32. 2 Reg. 10, 15) nunc miseriæ traditos describit vates iis, quæ sequuntur: חִבְּקוּ אַשְׁפַּתּוֹת, de quibus verbis multa conjecerunt interpretes. Primum אַשְׁפַּתּוֹת esse *fimetum, stercus*, consentientibus *omnibus* versionibus LXX Vulg. Chald. Syr. Arab. 1 Sam. 2, 8. Ps. 113, 7.[1]) dubitare non debemus, quoniam et utroque loco appositum est עָפָר, abjectæ condicionis indicio, et apud Hebræos frequen-

---

[1]) Non affero Neh. 2, 13. Neh. 3, 13, 14. 12, 31, ut quæ nihil probant.

tissima est miseriæ cum *stercore* comparatio Ps. 18, 43. 69, 15. Hiob 10, 9. 30, 19. Zeph. 1, 17. Es. 10, 6. 25, 10. 2 Reg. 9, 37, et bene defendi potest derivatio ex שפת ad normam אֶשְׁכֹּל, אַכְזָב, אֶגְרֹף (Böttcher Proben pag. 97). Quæ cum ita sint, a vero abducere nos debet neque autoritas *Lettii*[1]), qui „notionem „*fimeti*," inquit, „aut *sterquilinii* non approbo. Tenenda „omnino est significatio *chytropodis* in omnibus locis, „ubi hoc derivatum (אשפת) exstat" satis pro imperio neque tamen recta jubentis — neque opinio *Michaelis* (Suppl. pag. 137 seq.), qui cum אשפת Lettium approbans, *lapides, quibus ollæ imponebantur tripodes* esse monuerit, ignisque materiam non lignum, cujus Palestina et Arabia est inops, sed fimum siccatum ex itinerariis notum esse docuerit, *inde* (?) significationem *fimi congesti*, stercorum collectorum, deducendum putat, neque nimia *Fabri* (ad Harmarum 1, 131) sollertia, qui aliud vocabulum cui incertissimam dat *pellis* notionem, substituendum ratus est (אשפא) et חבק vertit involvit, sic extorquens: *pellibus vestiti.* At eorum quoque, qui אַשְׁפֹּת stercus significare dicunt, non una omnium est sententia. *Börmel* חבק Rabbin., involvendi notionem attribuens, vertit: „bedecken sich mit Unrath." *Rosenm.*: „sive ut alimenti quid quærant, sive ut melius saltem quam humi cubent" *amplexati sunt sterquilinia. Gesen. Maur.* amplecti fimetum, ut Hiob. 24, 8, *amplecti rupem*, nihil aliud significare volunt, quam his *incumbere ceu lecto.* Mihi omnes interpret. id

---

1) Observat. Philol. Critic. in cantica Deboræ et Mosis Lugd. Bat. 1748. pg. 113.

non satis respexisse videntur, quod de *pueris* loquitur poeta, quorum *mundities* et *vestium cultui* opponit neglectam excidii tempore sortem. Equidem חָבַק primaria et vera notione: *implicare se* dixerim, vertens: *implicant se fimo* (nos: de söle sig i Snavset), quo misera puerorum antea laute cultorum nunc quidem a parentibus neglectorum condicio bene describitur. Possent huc trahi verba *Harmari* l. c., qui Orientalium moris, ut fimeto pro ligno uterentur, mentione facta, in domiciliis ipsis, siccati fimeti congestionem fuisse docet, nisi hic ipse quoque de pueris sermonem esse oblitus esset.

6. *Pœna a filia populi mei repetita major est vindicta Sodomæ, quæ momento temporis eversa est, neque laborarunt de ea manus hominum.*

עֲוֹן et חַטָּאת h. l. ut sæpe pro *pœna* peccati; verissime *Jarchides*: פורענתם מוכיח עליה שגדול עונם משל סדם i. e. „*pœnæ illis inflictæ argumento sunt contra illos, quod eorum iniquitas major est, quam Sodomæ.*" Sodomæ vero et Gomorrhæ nomina sæpe in s. c. occurrunt tum ut gravissima describantur scelera Jerem. 23, 14. Ezech. 16, 46. 49, tum ut vehementissimæ Dei pænæ impiis intentandæ oculis subjiciantur Es. 13, 19. Jerem. 49, 18. Zeph. 2, 9. Math. 10, 15. Est autem elegans quædam Hierosolymæ excidium gravi affectu depingens enarratio, qua urbi multis gladii, famis, pestisque calamitatibus *lente* confectæ opponit vates *subitam Sodomæ vastationem* (Gen. 19), in qua urbe excidenda *hominum* manus non laborarunt. Ita וְלֹא

חָלוּ בָהּ יָדָיִם cum LXX Syr. vertendum censeo. Alii: *in quam non immissæ sunt manus* (cfr. Ges. Thes. pg. 452), ut Hos. 11, 6. Ita Rosenm. Maur. alii. Vulg. ceperunt i. e. coeperunt, errore quasi ex חלל esset deductum.

7. *Candidiores principes ejus nive, puriores lacte; rubicundiora corallis* (?) *corpora eorum, forma instar Sapphiri;* (nunc) *nigritia obscurior facies eorum, non agnoscuntur in plateis, ossibus adhæret cutis eorum, arboris instar exaruit.*

נְזִירֶיהָ LXX Vulg. *etiam Gesen. Nasireis* interpretatur, quod vix probabile est. Nasirei enim, quorum erat, ut David da Pomis bene dixit in Zemach David פרש עצמו מתענוגי עולם i. e. *abstrahere se a delectationibus mundi*, vix *lauti* et *delicati* cultus præbebant speciem; certis enim votis legibusque obstricti, ne vinum et quicquid ex uvarum succis inebrians conficitur, biberent, ne cæsariem novacula tonderent, ne immundi quid tangerent (Num. 6. Am. 2, 11), *horridam* potius et *incultam* faciem præ se ferebant, quam lautam et splendidam, neque quidquam dicit *Calvinus*, cum, quia Deo addicti essent, præcipuam in facie eorum Dei benignitatem conspicuam fuisse censeat. (Obiter moneo, id quod inter peritos constat, lege Mos. Num. 6, *temporarium* modo inductum esse Nasireatum, qui ab Judæis dicebantur נזירי מים s. נ״ זמן קצוב; alienum igitur fuisse ab institutis Mosaicis נז״ עוֹלָם Nasireatum per totam vitam durantem, nec nisi morte terminandum,

qualis Simsonis, Samuelis, Johan. Bapt. fuit: magnam denique postea libertatem invaluisse, ut eorum, quos nominavi, exempla probant (cfr. *Carpzov.* App. pg. 148. *Studer* ad Jud. pg. 306 sep.). Non igitur dubitandum est, quin נְזִירֶיהָ sunt *principes*, ut Gen. 49, 26, verissime monente *Noldio* (pg. 897), poetam de Nariræis non *voto* sed *dignitate* loqui, i. e. de populi principibus et optimatibus. De simili nostro ex nive et lacte deducto vide Gen. 49, 12. Cant. 5, 12. צחח non nisi h. l. candidum esse—אָדְמוּ עֶצֶם מִפְּנִינִים Bochartus, qui magna eruditionis copia פְּנִינִים esse *magaritas* defendit contra Boetium, qui *corallia* id verbum interpretatur (Opp. 2, 688), vertit: *candebant magis, quam magaritæ,* multisque exemplis etiam Latine *rutilare, purpureus* et quæ similes sunt voces non de *rubore* solum, sed de *candore* etiam adhiberi docet. Negavit id *Gesenius*, qui פְּנִינִים *corallia* esse professus אדם *nunquam nisi de rubicundo colore* usurpari posse contendit, præeunte quoque Mich. (Suppl. pg. 2022), quanquam, ut me docuit Rosenm., *Arabice* אדם *intensius splendere* significare et maxime ad *albedinem* referri, et in sinu Arabico *magaritas* quasdam inveniri, quæ candido colori rubedinem aliquam habent adjunctam, ostendit in disputatione sua *Pareau*, V. D. Non nostrum est, tantas dirimere lites; id modo monendum esse videtur, primum ex אדם nihil posse elici, quippe quod hoc uno in loco invenitur in Kal, et tam raro in s. c. in aliis conj., ut pro certo definiri nequeat, utrum a *ruboris* vi ad *candoris* notionem posset transire, necne, deinde פנינים tam incertæ esse originis, ut indubiam derivationem

adhuc protulerit nemo[1]), alterum denique coralliorum nomen fuisse רָאמוֹת Hiob 28, 18. Ezech. 27, 16. Itaque cum *Braunio* (pg. 533 seq.) *Winero* (l. c. 792) et *Noldio* (l. c.) coralliorum significationem *incertam* esse duco ob ea, quæ nuper dixi; nam quod alii prohibere dixerunt, ne coralliorum nomen h. l. admittatur, hoc genus ex arboribus natum, vili modo pretio esse, id partim refellitur Orientalium moribus, qui *rubicunda* corallia, ornatus causa, in deliciis habent, partim loco ipso textus, in quo non a *pretio* sed a *pulchritudine* simile ducitur. Versiones nihil faciunt, nam LXX ἐπυρώθησαν ὑπὲρ λίθον, nec illud quidem certum, nam Alex. Ald. Compl. habet ἐτυρώθησαν, atque hanc lectionem esse primariam, ostendunt verba Origenis: τὸ δὲ ἐτυρώθησαν οὐ διεχύθησαν ἀλλ' ἐπάγησαν, deinde *breviar. Roman: coagulati sunt*, Syrus denique Hexapl. qui habet ܐܬܓܒܢ *coagulari*, quod quidem aptum sensum fundit nullum, alii ἐπυῤῥώθησαν—rubicundiores[2]). Vulg.

---

1) Varias derivationes tentavit *Maurer* ad h. l., quorum nulla est certa; cum vero doctorum *neminem* comparasse Græc. λιθόδενδρον miratur, erravit; affert enim id jam *Noldius* l. c. coralliorum nomen h. l. respuens.

2) Errorem eumque antiquum in hunc LXX locum illatum esse apparet, critica manu emendandum; mihi ἔλαμψαν, quod ante ὑπὲρ γάλα legitur, cum ἐτυρώθησαν scriptura confusum esse videtur, neque splendor sed coagulatio in lac convenit. Itaque legendum puto: ἐτυρώθησαν ὑπὲρ γάλα, ἔλαμψαν ὑπὲρ λίθους (ita Alex. σ ob seq. σαπφ omisso). צָחוּ vero antiquis *coagulandi* vim vel habuiss vel habere visum fuisse, ostendit Chald. שְׁעַעוּ יַתִּיר מִן חַלְבָּא —

rubicundiores *ebore antiquo.* סַפִּיר גִּזְרָתָם. *Sapphiri* nomen non solum eum continebat lapidem, qui nobis quoque vocatur Sapphir, sed *lapidem quoque lazuli* (cfr. Plin. 37, 39. Exod. 24, 10. Hiob 28, 6. 16. Cant. 5, 14. Es. 54, 11); prius nominatum h. l. a poeta afferri constat, qui fuit pretiosissimus, pellucidus, scalpturæ aptissimus splendissimam hominum speciem ita bene depingentem (cfr. Braun de vestitu 2, pg. 530—540; Bellermann pg. 44—47). גִּזְרָה, quæ vox hac significatione nostro modo loco invenitur, (nam alia est illa, quæ templi pars quodam Ezech. 41, 12. 42, memoratur, de qua *Böttcher* pg. 348, 362) *figuram, formam* hominis significare dicunt, a גזר *secare*, comparantes *taille* gallice, קֶצֶב a קצב 1 Reg. 6, 25. Nescio tamen, an melior sit explicatio *Ludv. de Dieu* (Animadv. in V. T. Lugd. Bat. 1648 pag. 69), qui vertit: *excisio* sive *politio eorum erat Sapphirina*; ita quoq. Rosenm. nam quod *Braunio* (l. c.) placuisse video, גזרה significare ipsas *venas* sangvine plenas, quæ *carnem* varie *intersecant*, hasque sapphiri instar gratissimum præbere colorem *cæruleum*, non nego, ob dubiam גזרה additam notionem recipiendum esse non statuo. LXX σαπφείρου (ita enim interpungenda censeo) τὸ ἀπόσπασμα αὐτῶν, Vulg. sapphiro pulchriores. Pristinæ eorum dignitati opponit abjectam condicionem, urbis ex calamitate 8.

---

lenes sunt magis quam pingve lac, in quibus hoc moneo, Buxt. (Lex. Talm. pg. 2486) צחה confudisse cum זכה; in omnibus rebus pinguibus, ut e flore lactis, ungvento, oleo lenitas est commendabilis. Vellem conjecturam probarent lectiones Holmesianæ.

profectam. שְׁחוֹר h. l. substant. *nigritia*, quæ est imago doloris cfr. Hiob 30, 28. קֹדֵר הִלַּכְתִּי, Jerem. 14, 2. LXX ὑπὲρ ἀσβόλην. Vulg. super carbones; tanta autem est nigritia, ut faciem deturpatam *agnoverit nemo* i. e. לֹא נִכְּרוּ, neque audiendus Schult. qui vertit: *non hospitaliter accipiuntur* (ad Prov. pg. 250). צָפַד hoc uno loco adhærere; *cutis adhæret ossibus*, quæ est maciei corpus conficientis imago (nos: ikke være andet, end Skind og Been) cfr. Ps. 102, 6. Hiob. 7, 5. 19, 20. cfr. Thren. 3, 8. 5, 10. כָּעֵץ *instar ligni aridi.*

9-10. *Feliciores erant qui gladio, quam qui fame confossi sunt, quia hi* perforati, velut agrorum fructus[1]) *liquescebant; misericordium mulierum manus natos suos coxerunt, cibo erant in excidio filii populi mei.*

Horribilis sane famis descriptio (cfr. 2, 20), quæ tanta fuit, ut quamvis mortem huic præferendam dicat, etiam atrocissimam. — חַלְלֵי רָעָב audaciori quadam imagine de iis, qui fame pereunt ob præcedens חַלְלֵי חָרֶב cfr. Es. 22, 2 ibique Gesen. Quæ sequuntur שֶׁהֵם יָזוּבוּ מְדֻקָּרִים מִתְּנוּבוֹת שָׂדָי vix intelligi posse credo, nisi lædatur vel Grammatica vel lingvæ usus vel nexus verborum. *Lutherus*, *Gesen. Ros. alii: nam hi contabuerunt transfixi* ɔ: interemti *defectu proventuum agri*, ut in priore membro חַלְלֵי רָעָב (Thes. pag. 349). Recte, si modo interfectum esse *a fructu agri* idem esset ac *defectu fructum*. At quis tandem ita loquitur[2])? Neque me-

---

1) Ex conj.

2) Non iguoro, jam a *Kimchio* in Michlol מִן attribui significationem: *præ defectu* (חוֹסֶר), quam quidem repetit

lius est, quod Maur. voluit מְדֻקָּרִים מִתְּנוּבוֹת eodem modo *dictum* esse ac חַלְלֵי חֶרֶב et ח״ רָעָב, nam gladius et fames *mala* sunt, quæ interficere possunt, agrorum proventus *bona*, quæ vitam sustentant. Sublimius sane eadem retenta interpretatione, *Calvinus: "interfecti a "fructibus terræ;* quidam subandiunt defectum; sed "magis emphatice loquitur Propheta, quod scilicet omnes "terræ proventus sumpserint vindictam de scelerato "illo populo, dum negaverunt solitum victum. Terra "ministra est liberalitatis et benificentiæ Dei.... jam "ubi proventus terræ nobis se subducant, sunt quasi arma "ad sumendam Dei vindictam;" neque ab hac discederem interpretationis sublimitate, nisi artificisiosius composita, quam pro nostro, mihi quidem videretur. Concedo tamen, quotquot legi interpretationes, earum hanc

---

Glassius (pg. 573); sed si locos ab ipso allatos, a *Rosenm.* ad nostrum locum revocatos accuratius inspexeris, vix ad eorum sententias accedes. Ps. 109, 24 בְּשָׂרִי כָּחַשׁ מִשָּׁמֶן omnino falso vertunt: *emaciatur caro mea præ defectu pingvedinis,* cum, etsi incerta est notio כָּחַשׁ, prius tamen membrum ostendat מִשָּׁמֶן esse causam, ut מִצּוֹם; notio igitur defectus non in מִן, sed in כָּחַשׁ posita est. Bene Dathe: *caro destituitur pingvedine* (cfr. Munthinghe die Psalmen. Halle 1793. 3. pg. 166). Jerem. 48, 45 מִכֹּחַ aperte pertinet ad נָסִים, sive vertas *præ* (hostium) *viribus* sive *ab eorum viribus;* neque video, quid faciat Jerem. 10, 14, in quo loco deficiendi notio non est in מִדַּעַת, sed in נִבְעַר *brutescit a scientia* i. e. stultitiam ob suam caret scientia, quod luce clarius ostendit huic in altero membro respondens מִפָּסֶל. Hoc monendum mihi esse videtur, vaga illa ratione, qua præpositionibus attribuerint interpr. vim et notionem, quæ inest in verbo adjuncto, multa loca s. c. esse turbata et falso explicata.

mihi quidem optimam videri, nam quæ aut *Schultensius*, *Böisen* (Erläut. IV. pg. 605. Beiträge 2, p. 89), *Mich.* (vers. Germ) ex Arab. דָּקַר (Gol. 846) cibum implere colligerunt: *diffluunt ventres repleti proventibus agri*, aut quæ Mendels. Löwe: "die gleich Feldfrüchten *verzehrten*" habet, inter verborum nostrorum interpretationes locum vix tenere debent. *Riegler:* "schneller schwinden sie durchbohrt dahin, als Früchte auf dem Feld;" concinnum profecto atque probandum nisi hoc obstaret, quad 'זוּבוּ מ non: *celerius, quam*... *liquescebant* vertere possis; et si reddas: *magis quam* haud vera est comparatio. *Börmel:* "*schneller waren jene abgemäht, als Feldes Saat*, Hubigantianum illud secutus, *qui gladio perierunt, cito resecti sunt, ut agri maturæ fruges*, in quo *resecandi* notio est reprehendenda cum דקר sit transfigere, confodere. Me quidem, cum locus noster vix verti posse videatur, duæ, quas ultimo loco laudavi, sententiæ ad conjiciendi viam duxerunt pro מִתְּנוּבוֹת legendum esse כִּתְנוּבוֹת opinantem (facili מ cum כ permutatione) ex qua aptus ille, quem versione expressimus, efficitur sensus; scilicet tabe et macerie, qua conficiuntur homines, *dissolvi* quasi membra, frugum instar, in terra jacentium, planum est (unde Hom. *λύτο δὲ γυῖα*, liquescere, tabescere et quæ sunt similium verborum). Versiones nullum præbent auxilium. LXX *ἐπορεύθησαν ἐκκεκεντημένοι ἀπὸ γεννημάτων ἀγρῶν*. Vulg. *consumti a sterilitate terræ.* Chaldæi nugas afferre piget. רַחֲמָנֵי et בָּרוֹת modo hoc loco; ulterior vox utrum sit subst., ut vult Rosenm. cfr. בָּרוּת cibus Ps. 69, 22, an inf. Piel ex בָּרָה, comedere nec definire audeo nec interest, cum notio sit certa.

11-16. *Exsecutus est Dominus iram suam, ferventem indignationem effudit, ignem in Sione incendit et fundamenta ejus consumsit; non crediderunt reges terrarum et quotquot in orbe terrarum habitant, hostes infestos Hieros. ingressuros esse portas; ob peccata prophetarum, propter scelera sacerdotum, qui justorum sangvinem in ea effuderunt, cæci in plateis vagabantur sangvine polluti, ut vestimenta eorum tangi non possent: "Recedite hinc, immundus est," acclamant illis," recedite, nolite tangere;" nam avolarunt, immo evagati sunt; dicetur inter gentes: "non diu habitabunt;" facies Dei eos dispersit, non amplius eos prospectat; sacerdotibus non indulserunt, senibus non pepercerunt.*

Conjunximus eos, qui cohærere nobis videntur, versus, in eo versantes, ut calamitatem ex sacerdotum prophetarumque sceleribus profectam esse doleant. Ante מֵחַטֹּאת plerique subaudiendum esse putant זאת הָיְתָה, quod quidem mihi jejunum videtur, cum concinnior et lingvæ usui aptior fiat oratio, si cum v. 13 conjungamus; nam Judæi, falsis prophetarum vaticiniis (2, 14) sacerdotumque negligentia et impietate, qui sanctos piosque homines omni modo persecuti sunt, decepti inque calamitatem projecti vel nunc quasi cæci in plateis errant vel tum occæcati et vitiis polluti errabant; de falsorum prophetarum vi et efficacia diximus ad 2. 14.

Wiedenf. non prophetarum et sacerdotum scelera. sed *scelera in sacerdotes prophetasque commissa* intelligi vult, atque "es möchte beschränkt klingen," inquit: "wenn man bloss um der Propheten willen ein ganzes "Volk untergehen lassen wollte," atque huc refert v. 16. In quo a vero multum abesse videtur, neque, qui Dei in Judæos gubernationem, qualem exhibet s. s., mente conceperit, eum offendent scelera prophetarum sacerdotumque, quibus et ipse sese polluit populus, pro excidii causa posita. נָעוּ עִוְרִים nutabant cæci — egregia et sceleris et erroris imago. נְגֹאֲלוּ *Kimchi* in Michlol. compositam esse hanc insolitam formam ex Pual (גֹּאֲלוּ) et Niphal (נִגְאֲלוּ); ita quoque Evald 257; alii vestigium aliquod passivæ Niphal. formæ reperisse sibi visi sunt, ut Gesen. Lehrg. 240 cfr. Es. 59. 3. בְּלֹא יוּכְלוּ יִגְּעוּ vertimus cum Gesen. "*ut vestimenta eorum tangi non possent*;" duo enim verba, quod quidem notum est, Hebraica lingva conjungit, quorum alterum vel infinitivi vel adverbii locum tenet (cfr. Gesen. Lehrg. pg. 823). Neque repugno, si quis cum *Grotio, Calv. Calm.* vertere malit, *quia non potuerunt* (s. evitare), *vestimenta eorum attigerunt*" i. e. tanta erat tamque late propagata contagio, ut illa polluerentur omnes; possent etiam reddi: *cumque non possent* sc. stare, *eorum vestimenta apprehenderunt*,, i. e. falsis prophetis quibus essent in malum perducti, tanquam unico usi sunt perfugio. Sed priore loco propositum magis placet ob ea, quæ sequuntur; vestes autem sordibus maculatæ *scelera et peccata depingunt* cfr. Zach. 3, 4. Quæ sequuntur v. 15 סוּרוּ טָמֵא-לָגוּר tot opinionum tenebris obscurata

sunt, ut vix emergere possit, si quis in eas inciderit[1]), quoniam incertum est subjectum. Dicam id, quod sentio. Quemadmodum vitiorum simile ductum est ab impuritate menstruationis (sq. 17.), ita h. l. ab immunditie *leprosorum*: de quibus legendum est Lev. 13; lepra enim, ut pro peccatorum pæna, *divinitus* immissa in s. c. habetur (cfr. Num. 12, 10; 2 Reg 5, 26. 2 Reg 15, 5)[2]), ita peccatorum imaginem oculis subjicit; hoc igitur vates: quemadmodum leprosi voce prætereuntes, ne se tangerent, monere cogebantur, acclamantes iis: טָמֵא טָמֵא Lev. 13, 45, ita occæcati illi, jam calamitate ingressa in urbem, sceleris sui conscii, peccata sua confessi alios, ne se tangerent, monebant; כִּי נָצוּ גַּם־נָעוּ quippe tam celeriter illos vitiis suis cæcos corripuit pæna, ut quasi volatu evagantes vehementer trepidarent; quam vastationem, celeriter factam, ita gentium animos admiratione impleturam esse ait vates, ut hæ ipsæ futuram eorum dispersionem prævideant et prædicant. Ita omnia mihi quidem plana videntur, nulla subjectorum mutatione facta, et cum sequentibus חִלְּקָם bene cohærentia. In versionibus tanta quoque est perturbatio, ut ne ex his quidem peti possit quidquam. LXX Ὅτι ἀνήφθησαν[3])

---

1) Comparare juberem, si quis de hac re dubitaret, Bibl. Angl. ad nostrum locum interpretationes, ex quibus videbit, nihil esse tam contortum, quin pro vero habuerint docti viri; vide quoque Rosenm.

2) Vid. Hengst. Christol. 3, pg. 594 sq. et quæ diximus in Enchir. Exeget. I, pg. 494 sq.

3) Mirabiliter conjecturam Doederleinii, ex Theodor. et codice Norimb. ὅτι παρώξυναν (quod quidem nota Hexapl. Syr. habuit ܕܐܪܓܙܘ Aph. ex ܕܪܓܙܘ — *ad iram provocari* legisse

καὶ γε ἐσαλεύθησαν εἶπατε ἐν τοῖς ἔθνεσι, Οὐ μὴ προσθῶσι τοῦ παροικεῖν, quæ Syr. Hex. magis perturbat. Vulg. *Jurgati quippe sunt et commoti: dixerunt inter gentes: non addet ultra, ut habitet in eis* (cfr. Capell. Schleus.). חִלְּקָם־לְהַבִּיטָם hæc tam aperte hostium sunt verba, qui Deum suum rejecisse populum, quod quidem non exspectaverant (cfr. v. 12. I. 21. 2, 15), mirabundi lætabantur, ut vix in alium sensum possint detorqueri. חִלֵּק dispergere, ut Gen. 49, 7. Michael. LXX sequitur legentes חֶלְקָם Deus, portio eorum (*μερίς*); male, etsi Deum portionem Dei vocari supra ostendimus פְּנֵי יי i. e. majestas Dei ɔ: Deus Ps. 21, 10. 34, 16. Novum incipit orationis exordium a verbis פְּנֵי כֹהֲנִים וגו׳ quale in vehementioribus fit affectibus, h. l. eo præclarius, quo magis hostium crudelitas elucet, si, quæ paulo ante exsultantes clamarunt, ilico eos in sacerdotes exseruisse videmus et in senes, nobilissimos inter populum homines. נָשָׂא פָּנִים, ut Gen. 19, 21. 32, 21 respicere aliquem: Vulg. haud male: *facies sacerdotum non erubuerunt*; cur vero pro זְקֵנִים LXX posuerint *προφήτας*, nescio. Alex. Compl, habent *πρεσβύτας*, idque rescribendum censet Schleusner.

17. *Dum adhuc stetit (urbs) defecerunt oculi nostri, vanum auxilium (respicientes) ex speculis nostris circumspectavimus gentem, quæ servare non posset.*

Id profecto maximum cæcitatis indicium, quod, quam opem a solo *Deo* exspectare debebant, ab *alienis*

---

interpretem נאצו rati, confirmat cod 27 Kennic. et Chald. אִתְקוֹטְטוּ fastidiosi sunt (alii: abominabiles facti, passive).

exspectabant. Pro Chtib עוֹדֶינָה, quod quidem in versione retinuimus, nescio an legendum sit עוֹדֵינוּ, 'quia sequitur pluralis numerus; ita legunt codd. Orientales (Capell. pg. 437) et versiones: LXX *ἔτι ὄντων ἡμῶν*, Vulg. *cum adhuc subsisteremus*; Chald. modo: עוֹד. Hanc sive עודינה sive עודינו interpretationem, quam secuti sunt optimi et ant. et recent. interpr. *Calvin. Grot. Winer. Rosenm. Ewald*[1]), cum langvidam (?) esse dicat *Maurerus*, neque accipiat interpretationem Gesenii, mihi quoque haud probabilem, qui Suffixum esse supervacuum et ob *ὁμοιοτέλευτον* תִּכְלֶינָה ita scriptum judicat, novam formam inducere non timuit V. D. ינָה "*suff*, 3 *pers. fem. plur.* poetice ad analogiam "ימוֹ" masc. formatum fingens, "noch sie, noch schmachten unsere Augen" interpretatur. Quod quam audacter factum sit, demonstrare non opus est. צִפִּיָּה h. uno loco; præclaram exspectationis descriptionem per oculos quasi speculando hebefactos (cfr. Ierem. 14, 6. Ps. 69, 4.) non est, quin sentiat. De auxilio frustra ab Ægyptiis exspectato vide, quæ diximus § 7 (pg. 26.)

Gressus nostros venantur, ut in plateis nostris ire non possimus. Adest finis noster, completi dies nostri, profecto venit finis noster. 18-20.

---

1) Hic (Gramm. pag. 294) "Wie wohl die Suffixe, wo es nöthig, unterschieden werden können, zeigt בְּעוֹדֶנִּי *in Dauer ich bin* —, d. i. so lange ich bin — mit folgendem Prädikat, und das dichterisch erneute בְּעוֹדִי in Dauer meiner ɔ: so lang ich lebe, quod nostro respondet. Quod Maur. deinde dixit, quæ v. 18 leguntur, ostendere lugeri præsentia mala, non præterita, id nihili est, cum non mala v. 17, sed frustratam exspectationem describat vates.

Aquilis velociores sunt persecutores nostri, super montes nos insectantur, insidiantur nobis in deserto. Vitæ nostræ spiritus, Jehovæ unctus, in foveis eorum captus est, cujus sub umbra nos victuros esse sperabamus — est inter gentes.

Vertimus hæc præsenti tempore, quia sic poetæ fervor, Hierosolymæ excidium animo revocans, magis illucescit. Pro צָדוּ צְעָדֵינוּ (cfr. 3, 52) LXX habent *ἐθηρεύσαμεν μίκρους ἡμῶν*, de quo vide pag. 66 ubi Aquilæ versionem attulimus. Vulg. *lubricaverunt vestigia nostra.* Vetus ést opinio, nec illa quidem recipienda, hic legendum esse צָרוּ *obsederunt* ob Prov. 4, 12. 18. 7 [1]); unus

[1]) Dignum sane est memoratu judicium antiquiorum de variis illis litterarum mutationibus, in quibus sibi recentiorum ingenia mirifice placebant. In libro *Cosri* (edit. Buxt. pg. 197 sq.), qui liber ob mirificas falsi verique narrationes accuratam explicationem meretur (cfr. *Jost* l. c. VI. 114), postquam philosophus cum rege disputans: "*Quid porro dicis*, inquit," *de litteris quibusdam quæ inveniuntur in libris præter rationem, ut* (Thren. IV. 18) צדו צעדינו pro צרו, respondet rex Cosri: אם תשלוה ההקשה על אלה וההומה להם תשנה הספרים כלם באותיות תחלה ואחר כן במלות ואחר כן בהבורים ואחר כן בנקוד' ואחר כן בטעמים וישתנו הענינים וכמה פסוקים יכול האדם להעתיק ענינהם אל הפכם בהעתקת אחר מאלה המסורות כל שכן כלם i. e. *Si rationem* (vel syllogismum seu conjecturam) *dominari sinamus super illa iisque similia: mutabit libros totos primo quidem in litteris, deinde in vocibus, postea in sententiis, tum in punctatione, denique in accentibus, et sic mutabitur* (ubique) *sensus. Et quot versus poterit quis transferre in contrarium plane sensum per transpositionem vel immutationem unius ex his traditis, nedum omnium.* Quæ

de Rossianus codex, isque malus (No. 507) legit, ut solet, צָרוּ. — מְלֶכֶת וגו' hæc se intelligere negat Mich. (vers. Germ.); quid sit, quod non intelligat, nescio; sensus est in aperto. Notissima ex celeritate *aquilæ*, qua vel volat vel in prædam irruit, desumta imago 2 Sam. 1, 23. Jerem. 4, 13, 48, 40. Hiob. 9, 26. Hos. 8. 1. Hab. 1. 8. De argumento v. 20 diximus pg. 41. ubi de Sedecia in planitie Hierochuntina capto loqui poetam ostendimus. Rex ille vocatur רוּחַ אַפֵּינוּ; id vertimus: *vitæ spiritus*, quia narium nostrarum spiritus latine non dicitur; principem ita bene vocari posse, præsertim cum cives sub eo ex malis se respiraturos esse sperent, planum est; hanc dicendi rationem bene illustrarunt interpp. illo loco Senecæ de clementia 1. 4: „*Ille est spiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt* (civium). "אֲשֶׁר וגו' omnes versiones et interpp. accentus secuti vertunt, „cujus sub umbra nos victuros esse inter gentes sperabamus" quam interpret. non reliquissem, nisi Judæos de gentibus, *inter quas* habitarent, h. l. loqui frigidum mihi videretur, et multo efficacior pleniorque affectus, si priori membro נִלְכַּד בִּשְׁחִיתוֹתָם respondet præsens ejus status, ut inter gentes viventis hostiles, profanas. Ita facillime transitus fit ad ea, quæ sequuntur:

20.

Gaude et exsulta (modo) filia Edom, quæ habitas in terra Uz, nam ad te quoque perve-

21 22.

---

verba quomodo commentario illustrarit *Muscatus* vid. *Hotting* Thes. Philol. Tig. 1659 pag. 207. cfr Kennic. dissert. gener. pag. 81.

niet calix, inebriaberis, nudaberis; tua, o filia Sionis! iniquitas finietur, neque amplius te deportabit; visitat tuam iniquitatem, filia Edom reteget scelus tuum!

21. Acerbam exclamationem infestissimis hostibus excidium minantem, εἰρωνικῶς expressam etiam aliis in locis invenimus Es. 8. 9. 21, 5, Jerem. 47, 9, 11. Inter omnes vero hostes nulli tum infestiores erant, quam *Idumæi*, qui, etsi Judæis consangvinitate conjuncti (Gen. 36), hostiles tamen inde ab antiquissimis temporibus animos in Israelitas habebant Num. 20, 14 sq. Quamquam bello eos persecutus est *Saulus* 1 Sam. 14, 47., devicerunt *David* 2 Sam. 8, 14. *Amasias* 2 Reg. 14, 7 et *Usias* 2 Chr. 26, semper tamen vires resumebant imperioque Israelitarum sese subtraxerunt, hosque odio persecuti sunt, quare excidium Idumæis minantur Prophetæ tum viventes Es. 11, 14. 34, 5. 6 63. Joel. 4, 19. Amos 1, 11. Acerbam vero illam invidiam contra Judæos maxime eo tempore exercebant, cum Chaldæi Judæam aggressi sunt, quibus in Hierosolyma perdenda et opem ferebant et exsultantes gratulabantur. Inde tot prophetarum illius temporis contra Idumæos de Hieros. vastatione exsultantes vaticinia, Jerem. 9. 26, 25. 21, 49, 7 sq. Ezech. 25, 13, 35. 15, 36, 5. Obad. Ps. 137, 7, quibus terræ devastationem iis minantur. Hanc vero devastationem, prophetarum minis intentatam *factam non esse* post C. G. *Heinrichum* (de Idumæa ejusque vastatione Lips. 1782.) crediderunt *Gesenius*, qui in Comment. ad Esaiam pg, 904-7 luculentam hujus populi rerum dedit enarrationem, et

Crednerus ad Joelem pag. 79 seq. Gesenio quidem concedimus, Josephum Ant. 10, 9, 7 nihil de Idumæis devictis loqui, id quod errore ducti afferunt *Eichhornius* et *Bertholdtius*, porro hostiles eorum incursiones etiam post Babyl. exilium memorari 1 Macc. 10, 15. 12, 32 (cfr. Credn. l. c.). At inde nihil sequi, planum est. Primum enim vix credibile est, quæ tot prophetæ, divino spiritu afflati, essent minati, non esse effecta, neque negari debent res, quarum historiam monumentis expressam non legimus; deinde prophetarum mos est, ut *remotius* tempus, quasi mox instaret, considerent, quamobrem hæ minæ ad *Johannis Hyrcani* tempora possunt referri, qui Idumæos bello devictos ad circumcisionem suscipiendam coactos *imperio omnino privavit* cfr. Antiq. 13, 9. 1. 15. 4, quanquam equidem ad Nebucadnezarem referre mallem, quoniam, in scriptorum silentio, vix credibile videtur, qui Ammonitas, Moabitas, etiam *antea sibi conjunctos* (§ 7), sed dubiæ fidei (ibid.) bello devicit, eum pepercisse Idumæis, nisi in insigni hi fide manserint, quod libertatis tam studiosos fecisse haud facile sibi persvaserit quisquam. His ita illustratis ad explicanda verba revertimus. Vocatur Edom יוֹשֶׁבֶת בְּאֶרֶץ עוּץ, quæ habitas in terra *Uz*. De nomine Uz vide interpp. ad Hiob. 1. 1 et Gesen. Lexic. עָלַיִךְ *super* te — bene de ingruente malo. כּוֹס *calix*, frequens in s. c. imago divinarum vindictarum Es. 29. 9. 51. 17. Jerem. 25, 15. 17. 48, 12. 51, 7. Obad. 16. Ezech. 23. 31. Apoc. 18, 19, deinde malorum Matth. 20, 22. Marc. 10. 39; egregie ex Orientali loquendi ratione illustravit hoc dicendi genus *Gesen.* (ad Es. pg. 150 sq.). וְתִתְעָרִי Gesen. Roseum. *nudabis te*, ut solent fa-

cere ebrii; Alii, ut *Börmel* et *Joel Löwe:* evomes „du wirst dich übergeben müssen;“ ita LXX *ἀποχέεις*; Vulgatæ equidem præfero versionem: *nudaberis*, idque eo magis, quia quasi *convicia Idumæis* regerit, qui clamarunt de Hieros. excidenda עָרוּ עָרוּ Ps. 137, 7. Ultimum versum solatii plenum vel neglexisse vel non intellexisse plerosque interpretes doleo. תַּם־עֲוֹנֵךְ vertunt: *iniquitatis tuæ pœna est consummata*, idque Löwe et Wiedenf. „ein verzweifelter Trost“ vocant „Wer alles verloren hat, der hat freilich nichts mehr zu verlieren,“ quod, acerbe sane, non pie dictum vix in nostrum convenit. Etiam *Calvinus* contorta ratione ad Nebucadnezarem hæc verba refert. Judæorum per totum orbem terrarum dispersio, postea facta, quæ verbis לֹא יוֹסִיף לְהַגְלוֹתֵךְ obstare videbatur, ad hanc opinionem interppr. impulit, parum memores, quam alienum sit a nostro loco hoc judicium et quam vix probabile, עָוֹן *eodem commate*, altero alteri opposito, *diversa* significatione esse adhibitum. Prophetæ autem, cum Dei in populum suum vindictas pronuntiaverint, non solum tempora prædicere solent, quibus populi mala finem habebunt, sed, quæ est Messianorum temporum nota, gravissima, quibus *peccata remittenda essent*, vitia delenda, omnia a Deo condonanda. Hanc peccatorum *remissionem*, tempore Messiæ[1]) faciendam h. l. prædici nullus dubito, neque du-

---

1) Non evanuisse hanc nostri loci interpr. e mentibus antiquorum, ostendunt verba Chaldæi ad h. v. וְתִתְפָּרְקִין עַל יְדוֹי דִמְשִׁיחָא וְאֵלִיָּהוּ כַּהֲנָא רַבָּא *liberaberis per manum Messiæ et Eliæ, sacerdotis magni*, qui in eo non nugas commiscet vero, quod Romanos tempore Messiæ pœnas daturos

bitare credo eum, qui alia loca eadem significantia conparare velit, ut Es. 40, 2, כי נרצה עונה cfr. 54, 9, Jerem. 50, 20: „*illo tempore quæretur peccatum Israelis et non exstabit, et scelus Iudæ et non invenietur, nam condonabis*, Zach. 13. 1.“ *illo die erit fons apertus domui Davidis et incolis Hieros. ad peccatum et munditiem* (sc. abluenda). Dan. 9, 24 לכלא הפשע Hæc igitur noster quoque mærenti populo objicit solatia, neque *pœnarum* finis alio modo a vate potuit exprimi, quam לא יוסיף להגלותך — quippe quod exsilium ex delictis populi esset ortum. Quemadmodum autem *ve-*

---

esse narrat- (cfr. § 15) — nam id naturali quodam odio in patriæ oppressores exortum excusamus — sed quod Messiam, Eliam, *Persos* et Romanos in unum confert tempus. Neque objicere quisquam debet פקד עונך בת אדם; nam præterquam quod solebant (cfr. Hengst. Christol. 1. 2. pg. 227. cfr. pg. 171) utrumque conjungere et liberationem ex Babylonico exsilio et salutem per Christum adipiscendam, quo tempore judicia de impiis exercenda essent severa, ne in בת־ציון quidem Israelitas tum *viventes* cogitare potuit, quorum multi Babylone morerentur, multi nunquam reverterentur, sed ecclesiæ *illius formam*, quam punire, non omnino rejicere voluit Deus. Igitur בת־אדם, quod nomen sibi maxime infestum et hostile esse cernebant, latiore sensu de omnibus dixerunt, quotquot Dei imperio sese opponebant „nach der Sitte der Propheten“ de alio loco ait Hengst. „die „Feinde des Messianischen Reiches durch den Namen „eines der frühern Theokratie besonders feindlichen Vol- „kes zu bezeichnen.“

ros Israelitas servatum iri, ita *Dei hostes* pænas non effugituros prædicat, nec mirum est, quod Idumæorum nomen, ut postea Romanorum (cfr pg. 71), a nostro maxime iis infenso, pro omnibus impietatis studiosis indicatur. גִּלָּה עַל cfr. 2, 14.

Cap. V.

Omnia in hoc carmine *ultima post cladem Hier.* spectare tempora, supra ostendimus (§ 10); etsi vehemens quoque inest in hoc de servitutis malis querela et ejulatio, tamen denominatio Vulg. „*Oratio Jeremiæ*" haud aliena est, quoniam ipsæ calamitates ad preces Deo emittendas impellunt.

1-3. *Recordare Jehova, quid nobis acciderit, vide et respice opprobrium nostrum; hæreditas nostra ad alienos versa est, domus peregrinis traditæ, orbi facti sumus patre carentes; matres nostræ sunt quasi viduæ.*

De v. 2. diximus § 11; de יְתוֹמִים et אַלְמָנָה ad Cap. 1. 1. pg. 75.

4. *Aquam nostram pecunia bibimus, ligna nostra pretio comparamus,*

Miserias, quas pati cogerentur captivi, describi, planum est, quia ne rebus, quæ natura sunt maxime ne-

nessariæ, quidem libere se posse uti querebantur, si quidem, terra hostibus tradita, vectigales facti essent; neque aliud velle poetam, apparet. Nihilo minus *omnes* fere interpretes verba presserunt, ex quo sensus haud aptus effectus est. *Rosenm.* „ligna pretio venire“ queri vatem, ait, „quum antea quisque in silvas lignatum iret *nullo soluto pretio*. Miror profecto idem a *Wiedenf.* prolatum, qui, tanquam certum esset: „in „ihrem Vaterlande waren die Holzungen seit den älte- „sten Zeiten ein *Gemeingut;*“ dubitanter *Winer* (l. c. pg. 663) nostro loco pro argumento usus. Error, semel inductus, latius propagari solet; liberam autem fuisse in Palestina lignationem, profiteri non possumus. *Primum* nihil est in s. c., cur hoc ita fuisse statuas, neque *fabulosas illas decem constitutiones*, quæ a Josua datæ esse feruntur in Gemara Babyl. (tr. Baba Kama fol. 80. 2), nunc testes excitabit quisquam; harum altera est מלקטין עצים בשדותיהם, *ut liceret colligere ligna in agris*; deinde in tanta Palestinæ inopia ligni, de qua supra diximus (ad 4, 5), haud credibile est, silvarum usum fuisse communem, denique, quanquam hujus rei fere non fit in s. c. mentio, silvarum non minus quam ceterorum agrorum suos fuisse possessores, conjicere licet ex Jos. 17, 18. (cfr. Bachiene l. 1 pg. 370): et quis suas tenere posset, si cuilibet permissum esset ligna cædere?. Neque quisquam nostrum locum illustrare potest ex Nehem. 2. 8; ibi enim sermo est de *peculiari* regis Persici *possessione* (הַפַּרְדֵּס אֲשֶׁר לַמֶּלֶךְ), quæ suum habuit custodem (שׁמר), neque mirum est, neminem in tali tractu injussu regis ligna cædere potuisse. Quæ cum ita sint, nihil aliud

queritur vates, quam, quæ suæ fuissent possessiones, eas *aliorum* factas esse seque vectigalia pendere cogi. Difficultas, quæ est in sequenti versu, Michaelem impulit ut connecteret verba עֵצֵינוּ בִּמְחִיר יָבֹאוּ עַל צַוָּארֵנוּ *ligna pretio* (sc: *venduntur*), *in cervicibus nostris imposita domum portamus* — quasi non sæpe necesse esset ligna ita portare, aut quasi hoc esset calamitatis ultimum! Sequentem versum ita verto accentibus relictis:

Super cervicibus nostris (sunt), vexamur, 5.
non requies nobis datur.

Quicquid enim dicunt, non nisi duriter et contorte vertitur: *super cervicibus nostris persecutionem* (s. v. v.) *patimur,* neque hanc interp. defendere potest is locus, quem afferunt, ex Ps. 66, 12. desumtus, ubi est comparatio ex *equitandi* הִרְכַּבְתָּ אֱנוֹשׁ לְרֹאשֵׁנוּ, nostra ex *persequendi,* plane alia; liberius *Riegler:* „man treibt uns mit der Bürde auf dem Nacken," neque Maurer nostra tueri debuit, נִרְדָּפְנוּ, quæ passiva forma verborum rationem convertit, idem esse ratus ac רְדָפוּנוּ. Mihi hæc verba facillime explicare posse videntur, si præcisa esse sumantur, quemadmodum, ut sæpe jam monuimus, orationem incidere amat animus affectuum plenus. Igitur: *in cervicibus sunt:* ita Syrus ܐܬܘ ܥܠ ܨܘܪܢ ܐܬܪܕܦܢ *venerunt* (hostes) *super cervicibus nostris; persecutionem patimur.* De iis, qui ex hujus vexationis mentione conjecerunt, ad tempora proxima post exsilium *non* pertinere nostrum carmen, diximus § 10 (pg. 46) neque audiendus est *Wiedenfeld*, qui quarto commate respici eos, qui in Judæa remansissent, quinto eos, qui Babylonem

essent abducti, temere judicavit. De nugis Chald. interpr. ad n. l. diximus § 15. (pg. 71.)

6-8. *Ægypto dedimus manus; Assyriis, ut cibo satiaremur; patres nostri peccarunt; jam non sunt, nos eorum peccata luimus; servi nobis imperant, non est, qui ex eorum manibus nos eripiat.*

Nisi hi arte conjungantur versus, nullum fere sensum in iis reperire me posse concedo, neque video, quid inter 6tum et 8tum comma sibi velit v. 7, cum a poeta, hoc in carmine litterarum ordini non adstricto, hæc ita nullo verborum nexu esse effusa vix mihi persvadere possim. Lucem dabit ipse s. c. Hunc vero si evolvemus, inveniemus *primum* graviter castigari opem ab *exteris* petitam, fædusque cum iis initum Es. 8, 12. 57, 9. Hos. 12, 2. Es. 31, 1. Jerem. 37. 7, *deinde* reges Judæos hoc auxilium sæpissime petiisse ab *Ægyptiis et Assyriis*, 1 Reg. 3, 1. 9, 16. 10, 28. 1 Reg. 11, 40. 14, 15. 2 Reg. 16, 7-10. quare hanc opem *vanam* fore prædicantes, his populis *conjunctim* interitum sæpissimo minantur vates; ita Jerem. 2, 18 מַה־לָּךְ לְדֶרֶךְ מִצְרַיִם לִשְׁתּוֹת מֵי שִׁחוֹר וּמַה לָּךְ לְדֶרֶךְ אַשּׁוּר לִשְׁתּוֹת מֵי נָהָר Zach, 10, 11. Hos. 7, 11, 9, 3. 12, 2; porro *Ægyptum* et *Assyriam* in s. c. etiam *aliis in locis conjungi*, in quibus de *remotissimis* ab utraque parte regionibus adhibentur Es. 5, 26, 7, 18, 19, 23 (cfr. Gesen. ad Es. pg. 247), denique *saturandi* verba non proprie solum de cibo, sed de *beneficiis oblatis* etiam occurrere Ps. 81, 17. 104, 28. Jerem. 31, 25, quo fit, ut pane saturari

seu vesci interdum nihil aliud sit, quam vivere, vitam sustentare Es. 21, 14. Ps. 41, 10. His ita expositis sensus verborum nostrorum hic esse videtur: quæ patimur mala, reipublicæ vitiis debentur; cum enim a Deo omnem opem petere nos (Judæos) oportuerit, ad remotissimas quasque gentes potius, quam ad Deum confugimus; hanc majorum nostrorum culpam nos quoque luimus: vanæ istius prudentiæ fructus jam percipientes, in vilissimam abjecti servitutem. Ita omnia quidem mihi videntur plana rerumque historiæ consentanea. Formulam נָתַן יָד, manus porrigere, et supplicum gestum esse et fædus ineuntium et se alicujus imperio subjicientium, autore Ottone (Disert. Phil. ad Thr.) docet *Rosenm.*, nec interest, quidnam h. l. esse dicas; verba figurate dicta premere non opus est. Qui nullum horum commatum esse nexum opinantur, hi אַשּׁוּר esse *Chaldæos* dicunt, ut Wits. Ros. Gesen. Maur. Hitz. alii, neque, ut supra demonstravimus (pg. 6) nominis Assur in s. c. usus obstat; sed parum probabilem h. l. esse istam interpretationem, qua refertur ad tempora vati præsentia v. 6 („nobis panis quærendi causa vel Ægyptum confugiendum est, vel Chaldæorum imperium suscipiendum"), ex iis, quæ de *nexu* verborum diximus, sequitur; igitur אַשּׁוּר h. l. de *Assyria* dictum esse putamus: ex societate cum Ægypto et Assyria, inquit vates, omnia in nos nostrosque cives redundarunt mala, quibus verbis non conqueritur impiorum more, Deum improbe vituperantium Ezech. 18, 2. Jerem. 31, 29, qui „parentes comedisse uvas acerbas, suos inde dentes hebetes esse factos„ quiritarent sed vindictas divinas, a Deo jam diu intentatas, in se recidisse profi-

tetur; ita nihil ex hoc loco contra nostrum eruere licet, quod quidem supra ostendimus (pag. 46).[1] עֲבָדִים Nebucadnezaris præfecti, Asiaticorum more *servi* vocati, nisi mavis, id quod mihi videtur probabilius, de *Chaldæis* haud ita multo ante Assyriorum imperio subjectis dictum esse credere. Ab hoc malorum fonte ad *ipsa* describenda *mala* sese convertit vates:

9-18. *Cum vitæ nostræ periculo victum nobis comparamus ob gladium deserti, præ tempestate famis velut clibano adusta est cutis nostra(?); mulieres Sione, virgines in Judæ urbibus compresserunt, principes sunt manu eorum suspensi, facies senum non reverebantur; juvenes in pistrina detrusi, pueri sub lignis succumbunt; senes a portis cessant, adolescentes a canendis carminibus; cessavit gaudium pectoris nostri, choreæ in luctum conversæ; decidit capitis nostri corona, heu nobis! quoniam peccavimus, propterea langvet animus noster, ideo obtenebrati oculi nostri propter*

---

1) Vatem suos cives, *illam*, inter quam viveret, progeniem *peccatorum immunem esse non* prædicare, declarant verba v. 16 אוֹי לָנוּ כִּי חָטָאנוּ׃ omnibus in lingvis „*nos*“ et suorum temporum et præteritorum cives exprimit; nihil igitur obstat, quo minus נוּ ad majores referatur, neque lectio, ut I. D. Mich. placuit, mutari debet.

montem Sionis vastatum, in quo discurrunt thoes.

Comparent cum hac malorum descriptione Sall. Cat. Cap. 51. בְּנַפְשֵׁנוּ i. e. *cum vitæ periculo*, ita 2 Sam. 23, 17 הַהֹלְכִים בְּנַפְשׁוֹתָם, qui (aquæ quærendæ causa) iverunt cum *vitæ suæ periculo* 1 Reg. 7. 23. Prov. 7. 23. מִפְּנֵי חֶרֶב הַמִּדְבָּר equidem non cum *I. H. Mich. Rosenm. Maur.* ad 4, 19 retulerim, nam ibi de hostili vexatione *tempore obsidionis* sermo est vatis, nostra ad *posterius* pertinere tempus apparet (quare præsente tempore vertimus), sed de periculo, quocum, exhausta patriæ terræ copia, in vicinis gentibus *cibum quærerent*, dictum arbitror; illarum gentium odia tum maxima fuisse in Judæos scimus, neque aliena sunt a natura istarum gentium tales direptiones et vexationes. Prætulit Calvinus: ob *siccitatem*; utrum legerit חֹרֶב, quod quidem nullus enotavit codex Ken. de Ross., an ita conjecerit, nescio; bene hæc defendi potest interpretatio, quia מִדְבָּר non *desertum* solum significat, sed *saltum, pascuum*. עוֹרֵנוּ כְּתַנּוּר נִכְמָרוּ. In his verbis explicandis dubius hæreo; *primum* cutis nostra — *collective*, ut ajunt, non bene adhiberi posse mihi quidem videtur; igitur cum multis illis *De Rossianis, Kennic.* codd. Syr. Arab. Græc. Ven. עָרֵינוּ legendum censeo, *deinde* neque si cum Maurero: „*instar furni adusta est cutis nostra*“ vertas, ipso explicante, „quemadmodum furnus aduritur nimio igne, sic cutis nostra aduritur etc.“, bonus mihi fundi sensus videtur, quippe hæc interpret. deformatam faciei condicionem vix

docet, neque, si, quem nos secuti sumus in vertendo, Gesenio assentiamus, verborum *consecutio* facilis est, quoniam, hac admissa interpr., כְּתַנּוּר pro s. כְּמִפְּנֵי תַנּוּר seu כְּמִתַּנּוּר dictum esse statuere opus est; meliorem attulit versionem *Roseum.* Jarchidem secutus, *cutis nostra instar clibani incaluit*, in quibus verbis, secundum Pareau, *arescendi* inesset notio. Quæ cum ita sint, nescio an optima sit explicatio Kimchi, (quam defendit *Mich.* Suppl. pg. 1196): cutis nostra *nigredinem contraxit* (נשחרו Kim.), ut furnus — sive hanc nigritiæ notionem cum Gesenio deducere malis a primaria caloris, sive, Syriaca adjuvante lingva, כמר cum Mich. dolere, squalidum, sordidum esse, significare dicas. Ita Chald. אִתְקַדְּרוּ nigrescunt. LXX. ἐπελιώθη συνεσπάςθησαν [1]), in quo duæ interpretationes in unum coaluerunt. תַּנּוּר — furnos seu clibanos Orientalium ollas fuisse ignarias portatiles constat; descriptionem eorum ex itinerario de la Valle dedit *Beckmann* (Beiträge zur Geschichte der Erfiedungen 11, 2. pg. 419 seq.). זַלְעֲפוֹת רָעָב tempestas, æstus famis, quemadmodum Latini quoque dicunt: tempestas invidiæ, odii, belli et quæ

---

1) Ultimum hoc in aliam me deduxit conjecturam. כָּמַר (כבר) etiam significasse *nectere*, *connectere* ex derivatis מִכְמֶרֶת מִכְמוֹר, מִכְמָר, *rete*, planum est; nostrum semper conjungitur cum רַחֲמִים (vel נִחוּמִים Hos. 11, 8.); quid si, quemadmodum in his locis vertere licet, *viscera connectuntur*, metaph. de vehementibus affectibus, ita in nostro: *contrahitur cutis*, quod Germanorum respondet: „verchrumpft ist unsere Haut," ut Wiedenf. quoque habet. Optime hanc sententiam commendat Ps. 119, 83. הָיִיתִי כְּנֹאד בְּקִיטוֹר

sunt simlia. Optime hanc dicendi formnlam illustravit Simonis Lex. v. זַלְעָפָה. — שָׂרִים בְּיָדָם נִתְלוּ *Principes* 12. *manu eorum suspensi*; de principibus a Chaldæis necatis vide quæ diximus § 8. Ignominiosum apud Hebræos supplicii genus erat suspendium, nec nisi in *mortuos* exsequendum, mortis contumeliæ augendæ causa, ut volunt quidem post *C. B. Michaelem* (de pænis capitalib. in. S. S. commemoratis. Halb. 1749) *I. D. Michaelis* (h. l. § 234. 35) *Bauer* (hebr. Alterth. edit Rosenm. Leipz. 1835 § 19) *de Wette* (Archæol. § 166); *plerumque* post *mortem*, ignominiæ causa, additum esse suspendium (Gen. 40, 19, 22) Jos. (8, 29?) 10, 26, equidem non negaverim, etsi non desunt exempla, ubi *vivi* hoc supplicio affecti esse videntur Num. 25, 4. 2 Sam. 21. 6. 9, non repugnante Deut. 21, 22, 23. Postea hoc supplicium ab exteris frequenter adhibitum etiam apud Hebræos invalnit Jos. Antiq. 20, 6. 2. cfr. 13, 15, 2), semper pro teterrimo et maxime ignominioso habitum (cfr. Esth. 2, 23. 7, 10. 9, 13. 14).[1])

---

[1]) Aliam interpret, I. D. *Michaelis*, *Löwe* aliis probatam, qua *senes*, ne sepultæ patriæ supervivèrent, *se sua manu suspendisse* opinantur, non memorarem, nisi *de Wette* (Lærebog i den christel. Moral, overs. af Scharling Kbhn. 1835 pg, 264) in V. T. non solum non improbari, si quis mortem sibi conscisceret, sed probari etiam docerct. Quod falsum esse, videbit, qui loca a V. D. allata accuratius inspexcrit. *Hiob* 2, 9. stultæ mulieris verba בָּרֵךְ אֱלֹהִים וָמֻת tam incerta sunt, ut nihil ex his conjicere possimus. 7, 15 sese potius suffocari (מַחֲנָק) seu mori (מָוֶת) malle dicit Hiob. quam istis terreri malis, neque

מַחוֹן subst. ut Gesenius recte, non ut *Rosenm.* voluit infin. pro לִטְחוֹן — h. l. solum, *molam gestare*, est id quod latine dicitur, *in pistrinum detrudi;* inter operas serviles, ad quas ancillæ plerumque adhibebantur, erat molas trusatiles s. manuarias versare cfr. Exod. 11. 5. Jud. 16. 21. Es. 47, 2. Vulg. *Adolescentibus impudice abusi sunt*, ut Hiob. 31, 10, quod obscæno sensu intellexit (cfr. Boch. Hier. 1. 188 et Gesen. Lex. s. טחן). Miro modo LXX Ἐκλεκτὸν κλαυθμὸν ἀνέλαβον; quod pro κλαυθμὸν legendum esse κλαθμὸν conjecit *Dœderl.*, id Syr. Hex. non affirmatur. Quæ sequun-

---

ulla voluntariæ mortis in hoc loco fit mentio. *Simsonis* vero Iud. 16, *Achitophelis* 2 Sam. 17. (et *Raziæ* 2 Mac. 14, 37) mortes ipsorum manibus sibi oblatæ minime laudantur vel probantur, nisi quis s. scriptores, quæ mala facinora *referunt neque disertis verbis vituperant*, ea *laudare* profiteatur, in quo a vero multum aberit. Cum toto in cod. s. V. T. canon. modo duo exstant exempla hominum, qui tam duriter sibi consuluerint, probabile est, ad ignominiosas mortes illud delictum fuisse relatum, cujus rei documentum de seriore tempore sibi reperisse videtur in morte istius Josephi, qui Jos. de *Bello Iud.* 3, 8, 5 orationem satis comtam ante manus sibi illatas habet; atqui in illo loco ostentationis plus, quam veri judicii, quale illo tempore fuit, videmus. (cfr. Mich. mos. R. § 272, ubi tamen vera falsis admiscere videtur.). Qui causas indagare velit, cur tam rara illis temporibus esset cædes voluntaria, Orientalium vivendi cogitandique rationes inspiciat accuratius necesse est, et videbit, quam aliena a nostro loco illa sit Mich. Löwe aliis accepta interpretatio.

tur וּנְעָרִים בָּעֵץ כָּשָׁלוּ, variis interpr. hæc quoque agitata optime illustravit Joel Löwe: „Vielleicht sind hierun„ter die Balken (?) zu verstehen, an welche man die „Sklaven mit dem einen Fusse ankettete, und die sie im „Gehen immer nach sich ziehen mussten; wegen des „beständigen Anstossens der Füsse, wäre das Zeitwort כשל besonders passend;" optime nostro loco respondet illud Terentianum *molendum usque in pistrino, vapulandum, habendæ compedes; lignearum* ejusmodi *compedum* usum illustr. *Turnebus* ad Plaut. Men. 1. 1. 9. — V. 14-15. ultimam deplorant vastitatem, ubi nulla judicii, nulla senum consulentium prudentia, nulla juvenum hilaritas ac ludi cfr. 1 4. דָוֶה 1. 13. חָשְׁכוּ עֵינֵינוּ *oculi tenebrati sunt* — præ lacrimis cfr. Ps. 69. 14. (Knobel Kohel. pg. 348). Quantis laudibus celebratus sit mons Sion, in quem quasi descenderet majestas Dei, ex s. c. notum est cfr. Ps. 48, 3. 50, 2. Ps. 132, 13, neque pristinam condicionem nunc mutatam esse quidquam depingit melius, quam, qui locus pulchritudini nitebat, in eo nunc feras cubare atque discurrere. Jam ad 4. 3 nominavimus eos, qui de שׁוּעָל thoibus (Schakal) scripserunt; nostro loco non *thoes*, sed *vulpes* intelligendas esse voluerunt Ges. et *Winer*. (l. c. pg. 445), neque video qua de causa hæc dicant; nam thoes et cadaverum, quibus tum repleta erat Hieros. sunt voracissimi, cum ea respuantur a vulpibus, et in locis vastatis latibula habere amant.

17.
18.

19-22. *Tu, Jehova, in perpetuum manes, solium tum per omnes ætates; cur in perpetuum nostri esses immemor, per dies omnes nos de-*

sereres? Converte nos, Domine, ad te, et convertemnr; instaura nobis pristina tempora. An tu nos plane rejestisti? Nobis vehementer iratus fuisti!

19. Jehovam per omnes ætates manere, ejusque imperium et majestatem nullum unquam habitura esse finem — hæc qui inter omnia mala penitus in animo habet infixa Ps. 102, 27, 27, is demum spem de meliore statu (v. 20) firmam solidamque concipere potest; sed nisi *vera* animi *pœnitentia* (v. 21) Dei ipsius ope excitanda, huic adjuncta est spei, vanæ sunt omnes exspectationes. itaque preces, fiducia in benignitatem divinam reposita nixus, ad Deum effundit, quibus, ut ipse Jehova Judæos renovet ad veram resipiscentiam, precatur, sperans fore, ut tandem cesset ira Divina. Ita hos versus conjungendos essecenseo, quos parum a *recentioribus* multis interpp. recte esse intellectos non,

20. miror לָמָה לָנֶצַח תִּשְׁכָּחֵנוּ cum Rosen. verti: *cur esses immemor* ut verba sint animi fiducia sese erigentis, neque tamen repugno, si quis cum *Calvino* aliisque vertatur: *cur in perpetuum reliquisti*; tales piorum hominum cum Deo quasi expostulationes sæpissime nobis in Psalmis occurrunt: „fideles enim, etsi patienter ferant sua ma„la et subjiciant se Dei ferulis, deponunt tamen *fami„liariter* suas querimonias in ejus sinum et hoc modo „se exonerant" Calv. — Nempe *illa ipsa cum Deo familiaritas*, quam exhibent tot piorum hominum preces, a nostris temporibus, ut suum habet quæqe ætas ingenium, fere aliena, in s. c. frequentissima, multos docto-

rum hominum recentioris ætatis in falsas deduxit interpretationes. (Vellem legerent omnes preces beati *Lutheri*, ut eam, quam habuit ante profectionem Wormat. in Opp. edit Walch. X. et alib.) Itaque v. 21. הֲשִׁיבֵנוּ non cum *Rosenm.* de reditu in pristinum statum *externum*, neque cum aliis de *reditu in patriam* interpretandum censeo, sed de *vera resipiscentia*, quæ præter Dei opem fieri non potest cfr. Jerem. 31, 18. Ps. 80, 4. 8; recuperata autem Dei benignitate, iterum in gratiam rediturus est populus, qualis pristino tempore fuit, atque *inde* omnis redundabit felicitas; hæc significantur verbis חַדֵּשׁ יָמֵינוּ וגו׳, ut Jerem. 30, 20 וְהָיוּ בָנָיו כְּקֶדֶם cfr. 33, 11, (Hengst. Christol. 3. pg. 569 sq.). Ob difficultatem particularum כִּי אִם diverso modo verba v. 22 vertuntur; alii, ut *Vulg. Riegl. Börmel* particulas plane supervacaneas esse putant, id quod vix refelli debet; alii: *utique*, *profecto* nos reprobasti, neque respiciunt illi quidem vocem אִם. Alii, כִּי אִם: *nisi forte*, quasi in summam sese dederet desperationem. Alii, ut Rosen. Maur. כִּי vertunt *nam* et interrogantis modo totum versum reddunt. Equidem orationem, ut *Horrerus* et *Löwe* fecerunt ante me, præcisam esse dico, atque in hac re modo ab iis discedo, quod ulterius membrum non interrogantis, sed indicantis modo dictum esse puto; כִּי אִם ut Latinorum: *nisi si* Gr. *εἰ μή*, quando aliquid exprimitur, quod tam parum credi potest, ut vix egeat refutatione. Ita noster, cujus animus obruitur malorum mole, vix cogitatione concipere audet, a Deo in perpetuum rejectum esse populum (quod ut latine diceretur, *an* usurpato modo adhibuimus) cfr. Ps. 79, 5. 80, 5. 85, 6. 89, 47.

Jerem. 14, 19. atqui *a se divinas vindictas graviter sentiri profitetur.* Quam apta sit talis exclamatio קצפת וגו' menti inter spem metumque agitatæ, multis explicare non oportet; malorum expertum sensuum veritas non effugiet.

Index.

Corrigenda.

Pag.		Lin.				
Pag.	5	Lin.	23	*ἐπικήδιον αὐτόν*	leg.	*ἐπικηδεὶον αὐτοῖ*
—	27	—	4	fama	leg.	fame
—	28	—	13	Jerem. 36	—	Jerem. 39
—	32	—	1	25	—	52
—	37	—	5	recturus	—	regesturus
—	38	—	6	calamitatem	—	calamitate
—	42	—	5	producerent	—	proderent
—	44	—	25	hos	—	has
—	55	—	23	Bellarminum	—	Bellermannum
—	58	—	21	imitandæ	—	imitandi
—	62	—	21	exarstum	—	exaratum
—	86	—	20	hostes	—	hostis
—	90	—	1	ita	—	ite
—	—	—	3	victor	—	viator
—	94	—	17	sita	—	sitæ
—	—	—	21	implexæ	—	implexa
				contortæ	—	contorta
—	105	—	20	arcum	—	arcam
—	110	—	3	ira	—	iræ
—	135	—	6	meos	—	meas
—	191	—	14	aliena	—	alienæ

Leviora menda, ad quæ pertinent accentuum et punctorum scriptio, interdum haud recte prelo expressa, ipse benevolus corriget lector.